

A 664060



1409 JUBILÄUMSGABE 1909
LEIPZIGER VERLEGER
JOHANN AMBROSIUS BARTH · BREITKOPF u. HÄRTEL
A. DEICHERTSCHE VERLAGSB. NACHF. GEORG BÖHME · S. HIRZEL
DUNCKER u. HUMBLOT · WILHELM ENGELMANN · I. C. HINRICHSSCHE
BUCHH. · O. R. REISLAND · B. G. TEUBNER · VEIT u. COMP. · F. C. W. VOGEL

THEOPHRASTI CHARACTERES

EDIDIT

EVGENIVS PETERSEN

PHIL. DR.

Ζήλου τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα καὶ τὸν σώφρονα.
Menander.

LIPSIAE

TYPIS ET SVMTIBVS BREITKOPFII ET HAERTELII

MDCCCLIX.

PATRI CARISSIMO

ET

OTTONI IAHNIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

PIETATIS CAVSA

Duo fere anni sunt cum a philosophorum ordine Bonnensium certamini litterario proposita est quaestio de Theophrasti characteribus; quae quoniam aptissima mihi videbatur ad vires exercendas animumque excolendum, nec non laudis aliquantulum instigante cupidine succinxi me atque perfeci ita, ut palma me dignum haberent iudices benevolentissimi. Addideram sponte mea ipsa Theophrasti verba ad eorum codicum auctoritatem edita quos unos sequendos esse demonstrassem, cum huius quoque officii periculum facturus, tum summa doctissimorum quorundam virorum comitate ita adiutus ut non inutilem fore laborem meum praeviderem. PVaticani enim codicis collationem a C. Badhamo confectam, quo nominato non opus erit adcurationem laudare, propter egregiam liberalitatem suam L. Prellerus roganti transmisit. Rhedigerani conferendi laborem I. Vahlenus in se suscepit ea cum comitate quae mea laude superior est. Carolus denique Halmius Monacensis bibliothecae praefectus humanissimus tres codices Monacenses Bonnam misit, quos ipse quam potui adcuratissime contuli. Quibus omnibus debitas gratias persolvo.

Quod igitur annum ante et dimidium opusculum conposui id paucis tantum mutatis in lucem prodit. Edidit quidem qui rivalis mihi extitit in certamine Bonnensi

Fr. Hanowius dissertationem suam de eadem quaestione conscriptam, sed nihil a me ex ea in usum meum verti potuisse cognoscet, qui illam inspicere voluerit. Neque magis Fossii editione priore anno quae prodiit, adiutum me esse confitendum est. Atque vereor ego ne non multis usui futura sit illa editio. Praeterquam enim quod nec in universum qua ratione sibi agendum esset satis perspexit, hance miram sibi legem proposuit, ut quamvis plerisque in locis prorsus inutiles scripturarum copias adnotaret, nihil tamen in eis diceret, quibus a prioribus editoribus recte mutata esse codicum verba sibi persuasisset (cf. p. XV), ita ut non possis ei fidem habere.

Itaque pauca illa quae mutavi meis ipsius curis nata sunt secundis, atque maxime in verbis recensendis non potui non saepe a me ipso non minus quam a ceteris dissentire, quae brevi adnotatione exponenda esse duxi.

Scribebam Kiliae m. Iulio.

EVGENIVS PETERSEN

De Theophrasti, qui χαρακτῆρες inscribitur, libelli indole, priusquam codices adcuratius erunt examinati, non poterit certo iudicari, quoniam mira est librorum manu scriptorum discrepantia, qualem in alio scriptore haud scio an nullo invenias. Praeter enim eos, qui vel XV priora, vel XXIII, vel XXVIII denique capita conplectuntur libros, unus Palatino-Vaticanus posteriora XV sola tenet, ut caput undetrigesimum et trigesimi partem unus habeat, ea vero, quae cum aliis illi sunt communia, multis additamentis aucta exhibeat. Vnus denique Monacensis DV litteris signatus XXI continet priora, magnis singularum descriptionum partibus omissis. Tres igitur recensiones, sive editiones dicere mavis, distinguas oportet, PVaticanam plenissimam, vulgatam mediam, brevissimam Monacensem. Nec unicuique, qui eam haberet genuinam atque veram, defuit. Etenim praeiudicatas opiniones cum sequerentur, in gravissimos plerique errores inciderunt. Quamobrem ita disputationem institui, ut prius de codicibus dissererem, atque primum quidem PVaticani codicis additamenta perlustravi, ut genuinane essent an interpolatoris cuiusdam panni demonstrarem. Deinde egi de Monacensi, a quo ad vulgatam transii, eiusque quaenam essent codicum familiae investigare conatus sum. Atque haec quidem prima parte

continentur. Altera ipsius libri naturam tam e Peripateticorum doctrina, quam ex universa Theophrasteae aetatis indole ac genio inlustrare studui.

PARS I.

Primam PVaticani codicis, numero XC insigniti notitiam ab Amadutio accepimus, qui, si fidem habeas testanti p. 14, ex ipso codice exscripta postrema duo capita edidit Parmae anno prioris saeculi LXXXVI. Neque vero adcurate codicem inspexit. Quamquam enim ante eum Petronius (cf. Amad. p. 14 et p. 56 adn. 41) e Vaticano codice Theophrasti librum triplo auctiorem editurum se promiserat, reliquorum Amadutius additamentorum nihil vidit. Itaque Siebenkeesius primus omnia XV capita exscripsit (postrema duo ex Amadutii ut videtur editione), exscripta anno CIƆIƆCCLXXXXVIII simul in Siebenkeesii anecdotis graecis et in editione omnium XXX characterum a Goezio curata sine cura, in lucem prodierunt. Atque ab eo inde tempore diversissimae virorum doctorum de additamentis illis prolatae sunt opiniones, cum genuina alii, alii a grammatico nescio quo sive librario orta haberent. Nolo ego quotquot ab utraque parte steterint enumerare. Praecipuos additamentorum adversarios nominasse satis sit, Hottingerum, Coraem, Astium. Qui non rem ipsam sed suas de Theophrastei libelli natura opiniones secuti sunt praeiudicatas. Corais iudicium — si modo dignum sit eo nomine — brevissimum habes p. 249 editionis 'Elles (les additions) paroissent être l'ouvrage de quelque interpolateur, qui voulut grossir sa copie des caractères pour en tirer un meilleur parti.' Hottingerus p. 423 eius interpretationis, quae edita est anno huius saeculi XXIII haece dicit 'Aber um sie Theophrasten zu vindiciren reicht dieses allein noch lange nicht aus'. Quo totam quaestionem prorsus evertisse adparet. Neque enim ei, qui vindicare Theophrasto sed qui abdicare velit additamenta, proban-

dum est et demonstrandum. Argumenta si quaeris, nullum invenies contra PVaticani codicis auctoritatem prolatum. Inepta, insulsa dixerunt additamenta, quo si probari putabant sententiam, erat hoc quam maxime ineptum. Eadem in vulgatam Thierschius, Monacensis recensionis vindex, crimina congessit, eam ut eodem iure quo PVaticanam pro interpolata habere possis. Longe meliore et iure et eventu Blochius, Schneiderus, alii PVaticani codicis patrocinium susceperunt, omnium vero et acerrime et plenissime Fossius programmatis tribus Halae inter trigesimum quartum annum et sextum editis. Quocum etsi de universa re consentio, non possum tamen in singulis non saepe ab eo dissentire, vel propterea, quod, cum ille tum quidem editione Siebenkeesiana niteretur, mihi nova codicis collatione uti licuit a C. Badhamo confecta. (Dum haec corrigo novissimum Mnemosynae fasciculum accipio characteres e codice PVaticano a Cobeto editos continentem, quo iam omnes scrupuli evelluntur.) In editione quidem, quae apud Teubnerum priore anno prodiit, eadem Badhami collatione Fossius usus est multisque locis sententiam suam mutavit. Ego tamen quae ante de hac totius quaestionis parte conscripseram quodque tunc emendandi codicis PVaticani specimen dederam etiam nunc non incommode ratus sum repeti.

Difficillimum quidem negotium est, quod corruptelarum quibus scatent additamenta, quam ipsorum additamentorum longe maior est numerus. Id quod suspitioni vix favet. Nam quo magis obscura sunt talia et quo magis corrupta, eo minus interpolationis seu glossematis, seu quodcunque eis nomen indiderunt, prae se speciem ferunt. Iam vero in hoc PVaticani suscipiendo patrocinio, num ipsa scriptoris verba restituta sint, si multis locis etiamnum in dubio relinquitur, hoc nec mirum, nec cum quaestionis detrimento fieri censeo, modo sententiam satis explanatam esse concedatur.

Primum igitur eos locos iudicio subiciemus, quibus genuina esse PVaticani codicis incrementa cum necessitate evinci posse videatur demonstrando. Atque statim in capite XVI quod est de superstitione subsistendum est in verbis ·*καὶ τελεσθησόμενος πρὸς τοὺς Ὀρφεοτελεστὰς κατὰ μῆνα πορεύεσθαι μετὰ τῆς γυναικός· ἐὰν δὲ μὴ σχολάζῃ ἡ γυνή, μετὰ τῆς τιτθῆς καὶ τῶν παιδίων καὶ τῶν περιρραινομένων ἐπὶ θαλάττης ἐπιμελῶς δόξειεν ἂν εἶναι. κἂν ποτε ἐπίδῃ σκορόδῳ ἐστεμμένων τῶν ἐπὶ ταῖς* (vulg. *τοῖς*) *τριόδοις ἀπελθόντων* (vulg. *ἀπελθών*) *κατὰ κεφαλῆς λούσασθαι, καὶ ἱερείας καλέσας σκίλλῃ ἢ σκύλακι κελεῦσαι αὐτὸν περικαθᾶραι.* Quae sicut in PVaticano extant transscripsi, atque ea quidem quae in eo uno extant, deductis litteris exprimenda curavi ut hic semper. Quo loco plura sunt quae mireris, Casauboni ingenium, Hottingeri cum audacia coniunctam pertinaciam, ineptias Astii. Casaubonus, quem male intellexit Fossius I p. 17 primum *ἐπὶ τὰς τριόδους* rescribendum censuit; addidit tamen 'verum arbitror maius vulnus subesse et desiderari aliquod vocabulum aut etiam fortassis plura' neque praeter bonum Fischerum postea quisquam de lacuna dubitasse videtur. Verum etiamsi concederemus Fischero, ita dativo *ἐπὶ ταῖς τριόδοις* uti potuisse scriptorem, ut esset 'ad trivia profectum illum caput lavare', quis quaeso eam toleraret sententiam? Quam cum codices non dederint Theophrasto, neque nos ei obtrudere volumus Casauboni accepta mutatione, quae nec per se ullam habet probabilitatem. Itaque praeter Hottingerum, qui omnia sursum deorsum versans, cum eis quae praecedunt *καὶ πυκνὰ δὲ τὴν οἰκίαν καθᾶραι δεινὸς* illa coniunxit, atque quem sibi finxit interpolatorem, eum propriis iam interpolationibus superare conatur, praeter eum, inquam, omnes in PVaticano quasi fundamento insistendum esse censuerunt. Qui quod praebet ita conpa-

ratum est, ut qui ab interpolatore fictum esse sibi persuadeat, nihil non credere posse videatur. Non enim qualiscunque illa de triviis agens narratio suppletur, sed ad *καί* particulam prorsus nova additur sententia. Attamen in PVaticani codicis scriptura adquiesci non posse nemo non videt. Quod ad priorem partem adtinet cum Astio consentit Fossius atque *τῶν* articulo addito, quem iam in codice inesse docuit Badhamus, ita verba interpretatur 'eorum aliquis, qui aqua marina adsidue s. diligenter se adspergunt,' fidem facturus cap. VI verbis *καὶ τοῦτο δ᾽ ἂν εἶναι δόξειε τῶν περιισταμένων τοὺς ὄχλους* q. s. Quo nil efficit. Nam qui circa plebem versari dicuntur clamitantes convicianstesque, ei revera flagitiosi sunt et inprobi, ut recte eorum unus *ἀπονενοημένος* esse dicatur. Contra qui mysteriorum ritus adcurate persequntur diligenterque se abluunt, iniuria superstitiosi dicuntur. Eos autem qui superat diligentia, is secundum Theophrastum, uti infra videbimus recte dicitur *δεισιδαίμων*. Ne multa, scribendum videtur *καὶ τῶν περιρραινομένων ἐπὶ θαλάττης ἐπιμελέστατος δόξειεν ἂν εἶναι.*

In altera additamenti parte, cum simplicissima ratione corruptelam, de qua nemo dubitavit, sanasse mihi videar, innumeris enumerandis coniecturis, quarum nulla non habet, quo displiceat, tempus terere nolo. Repetas modo ultimas *τριόδοις* verbi lineolas et habes fere quod desideratur *ΤΡΙΟΔΟΙΣΕΙΣΑΠΕΛΘΟΝΤΩΝ* sive *ΤΡΙΟΔΟΙΣΕΚΑΤΗΙΘΥΟΝΤΩΝ*. *Κ* enim et *IC* litteras saepissime confusas esse a librariis pluribus locis Cobetus docuit Var. lectt. p. 14. 124. 127. 199. *H* vero et *IE* confusas habes c. XIX ubi cum *χρῆσθαι* plerique codices habeant, in Rhedigerano extat *χρίεσθαι.* Habes igitur, qui mancus est in relicuis libris locus, suppletum eum in PVaticano, et ita quidem ut de interpolatione cogitari nequeat.

Caput XVIII duobus locis e PVaticano auctum prodiit.

Quam inter alias suspitiosi hominis notas legis *Καὶ ὅταν ἥκῃ τις αἰτησόμενος ἐκπώματα μάλιστα μὲν μὴ δοῦναι* eam in vulgata nova statim excipit. Quae lacunosa esse diu antequam notus fuit codex PVaticanus H. Stephanus postque eum Casaubonus perspexerunt, neque praeter Fischerum Hottingerumve quispiam negaverit. Ille timidus nimium aliquid tamen inde habet excusationis, quod ignorabat PVaticanum. Hottingerus novit quidem sed nihilominus, ut sibi constaret videlicet, quamquam non semper constitisse sibi videbimus, vulgatam amplexus est, ita eam defendi posse ratus 'es ist eine bekannte Sache dass der Gegensatz wo er sich wie hier leicht errathen lässt sehr oft unterdrückt wird.' Cuius usus testem citat Heindorfium ad Plat. Theaet. p. 468. Qui ad Platonis locum explicandum quae collegit, eis cum nostro nihil esse commune Blochius et Fossius I p. 20 bene animadverterunt. Neque tam *μέν* particula, ut quidem Hottingerus putabat apodosin poscit quam *μάλιστα μέν*, quod nunquam non sequitur vel *εἰ δὲ μή*, vel *ἂν δ' ἄρα*. At concedamus ut Graeca illa nostro sermone ita vertantur 'wenn einer Becher von ihm zu leihen wünscht, so gäbe er sie am liebsten gar nicht' (nam quod Hottingerus vertit 'so wird er sie selten geben' non respondet Theophrasteis) ita ut supplendum sit 'wenn er aber sehr gebeten wird, thut ers endlich' — quid ad suspitiosum hominem et diffidentem haec faciunt describendum? Unde tu propter pravam suspitionem nolle illum pocula sua commodare eruas? Immo parum commodum potius et inhumanum hominem intellegeremus, quem nos diceremus 'ungefällig', Theophrastus *αὐθάδη* dixit. Postea fulloni cur non cuilibet vestem suam tradat, minime latet causa, nec in relicuis. Quamobrem, quod PVaticanus praebet, quin accipiamus fieri nequit. Extant in eo post *μὴ δοῦναι* haece scripta *ἂν δ' ἄρα τις οἰκεῖος ᾖ καὶ ἀναγκαῖος, μόνον οὐ πυρώσας καὶ στήσας καὶ σχεδὸν ἐγγυητὴν λαβὼν χρήσει,* quae licet

corrupta sint, sententia qualis sit patet. Etenim discimus cur ille parum lubenter pocula commodet, optimeque diffidentia hominis describitur. Invitus dat nec omnino nisi cognatis quosque optime novit, atque quod *κατὰ πάντων κακίαν ὑπολαμβάνει*, ne his quidem nisi poculorum antea pondus adcurate examinaverit, maximo opere ne quid illi abradant sollicitus. Qua cautione non esse contentum docent et quae praecedunt *στήσας* verba et quae sequntur; postrema vero *καὶ σχεδὸν* q. s. non admodum difficilia sunt intellectu. Vt enim ab omni parte securus esset, quamvis cognatis pocula daturus, sponsorem tamen adhiberet nisi aliqua saltem verecundia inpediretur. Itaque bene se habet *σχεδόν*. Orellius quidem in lectionibus Theophrasteis Turicensi lectionum indici a. CIƆIƆCCCXXXVII praemissis p. 17 id quod contra Coraem *μόνον οὐ πυρώσας* verba retinentem Hottingerus disputaverat etiam in *σχεδὸν* q. s. cadere putavit. Hottingerus scilicet suspitiosum ita depingendum fuisse contendit, ut quae revera faceret, non quae cuperet tantum facere, lectoribus exponerentur. Quae quantum ad *μόνον οὐ* adtinet recte disputata esse concedo, quantum ad *σχεδὸν* q. s. minus. Postquam enim duo diffidentiae indicia scriptor enarravit, licebat sane tertium per *σχεδόν* inducere, quod antea non licebat. Aut quis a *μόνον οὐ* ad *σχεδόν* sententiae esset progressus? Accedit quod, cum *πυρώσας* vel e Corais interpretatione corruptum esse adpareat, ne *οὐ* quidem satis tutum videatur. Nescio vero melius ego proponere quam quod eodem tempore et Orellius l. l. proposuit et Fossius I p. 21 *ἐντυπώσας*. *Μόνον* autem pro quo uterque *ὄνομ'* (Or. *ὄνομα*) coniecit scribendum, retineo et in editione retinet Fossius, quod, siquidem ne aliud sibi poculum reddatur, metuens ille signum insculpit, non nomen potius quam minutum aliquod et occultum incidere signum putandus est.

Non minus certum de eiusdem capitis fine iudicium

ferri potest, ubi quae vulgata tradita erant *καὶ τοῖς εἰληφόσι τι παρ' αὐτοῦ καὶ λέγουσι Πόσου κατάθου· οὐ γὰρ σχολάζω πέμπειν*, ut aliquo saltem modo explicarent mire se torserunt editores. Plerique Casaubonum secuti parum probabiliter post *πόσου* intercidisse putarunt *εἰπεῖν* ut 'quanti?' emptori interroganti e Casauboni Astiique sententia mercator responderet 'solve! nam non vaco mittendo' aut ex Hottingeri versione, 'lass ės nur liegen; ich habe nicht Zeit hin und her zu schicken.' Quod responsum surdi potius aut mente capti mercatoris esset quam diffidentis. Quippe qui interrogat pretium statim soluturus esse videtur, id quod minime fugit Hottingerum et Astium. Sed ei, quod unum rectum erat, non sunt amplexi, atque suam sententiam non scriptoris verba secuti sunt. Quos merito castigavit Fossius I p. 22. Neque enim quae vulgatae scripturae sententia sit is, qui verba scriptoris, mores suspitiosi cernat, dubitare potest. Dicit emptor qui argentum nec secum tulit nec statim solvere potest *Πόσου κατάθου*, neque enim nunc vaco ita ut argentum mittere possim. Ita vero qui pergit nihil antea potest dixisse nisi refer in tabulas, atque id ipsum est *κατάθου*; dein *πόσου* aut genetivus esse potest, quod plerosque voluisse vidimus, aut inperativus. Ille cum vix ferri possit, hic bene se habet modo *καί* addito inperativos coniungas. Est igitur rogatio emptoris, quae facile suspitionem moveat homini ad diffidendum prono. Id ipsum vero cur totam narrationem scriptor instituit abest. Sed non abest in PVaticano quo hoc mercatori datur responsum *Μηδὲν πραγματεύου· ἐγὼ γὰρ ἄν σου σχολάσῃς συνακολουθήσω*, quae facillima opera ab aliis ita sunt emendata ut post *πέμπειν* adderetur *εἰπεῖν* et *μή* post *σύ*.

Quod additamentum cum Astius hisce ausus sit damnare 'ineptissimum vero se dedit librarius verbosam hanc orationem venditori tribuens' Theophrastumque, si talia dicere voluisset, hoc tantum venditori daturum fuisse sibi

persuaserit *Οὐκοῦν συνακολουθήσω*, neque Fossius alio modo contra Astium defendere potuerit PVaticanum, quam ut non Theophrasti sed venditoris verba esse diceret, hace data occasione, quam subtiliter suspitiosum Theophrastus descripserit, paucis exponam. Suspitiosi hoc proprium est, ut quamvis nemini fidens, nolit tamen diffidentiam suam patefieri, propter pudorem non minus quam ne ei, quorum vultus, probi pravine sint exploraturus, oculis suis pérlustrat, intellegant hoc celatoque ipsum consilio deludant. Eam ob causam *Μηδὲν πραγματεύου* dicit sub commoditatis comitatisque specie suspitionem occultans inliberalem.

Quae ad c. XX accesserunt nova, eorum unum hic adtingam. In verbis *καὶ ἐρωτῆσαι δὲ δεινὸς ἐναντίον τῶν οἰκείων ὡς ποίᾳ ἡμέρᾳ με ἔτικτες* matris mentionem desiderari adparet, quam omittere non breviloquentis esset sed inepti. PVaticani additamentum *εἰπὲ σὺ μάμμη* (id enim sub *εἶπον* subesse censeo, ut ab ipsa matre scire se hoc velle arguat) a librario ortum esse, quam sit dissimile veri libenter concedet, qui primum non *μῆτερ* matrem adloqui hominem ineptum reputaverit, deinde ad hominis incommoditatem depingendam vel maxime idoneum esse additum *ὅτ' ὤδινες,* quo ipsum parturiendi momentum significatur.

Homo inliberalis, qui propter nimiam parsimoniam et subit negotia servo potius quam ingenuo homine digna, fugit contra, quae nemo sine nota aliqua vitare potest, stipem ne conferat promissam sive designatam, simulac conspexit amicum, qui colligit argentum, celerrime, ipse ne ante conspiciatur, de via deflectit et aufugit. *Καὶ φίλον ἔρανον συλλέγοντος προϊδόμενος ἀποκάμψας ἐκ τῆς ὁδοῦ* q. s. vulgata scriptura est, de qua rectissime Fossius iudicavit I p. 26. Etenim stipis colligendae gratia venire amicum, qui sciat noster, ni forte Tiresias sit non caecus, aut magnum prae se saccum ferat amicus, nemo facile

perspiciat. Neque de contorta constructione quod monuit vir doctus, minus rectum est. Prorsus igitur necessaria sunt ea quae PVaticano offeruntur *συλλέγοντος καὶ διειλεγμένου αὐτῷ προςιόντα προϊδόμενος ἀπ. ἐκ τ. ὁ. τὴν κύκλῳ οἴκαδε. π.* Pauca tamen ad emendanda verba addam. *Τήν* ante *κύκλῳ* quamquam in editione retinuit Fossius, nescio quomodo defensurus, servari nequit, neque vero expungendum est. Quid iam scribendum sit aliunde exorsis investigare licet.

Notationes ita scriptor conposuit, ut aut singula pro se posita infinitivis enarraret *καί* particula coniunctis, aut gravissimum infinitivo poneret verbum, relicua, quae ad amplificandam orationem et inlustrandam accederent participiis adiungeret. Quam legem et ratione inpositam nec alias ignotam libros si spectas plus semel laesam invenies, cum sive *ων* et *ειν* sive *ας αι* syllabarum similitudine librarii parum adtenti in errores abducerentur. Primo statim capite dudum *ἄλλα τοιαῦτα λέγων* pro *λέγειν* correctum est. Cap. IX cum relicui codices rectum praebeant *προςελθών*, unus Parisinus antiquissimus habet *προςελθεῖν*. Cap. XV *οὐκ ἔχων συγγνώμην* perperam scriptum pro *ἔχειν* non magis negatur quam c. XXII *νικήσας* pro *νικῆσαι* esse rescribendum et c. XXIV *προςελθεῖν θελῆσαι* pro *θελήσας* et *ἐᾶσαι* pro *ἐάσας εἰςελθεῖν*. Itaque initio c. XVIII *καὶ φέρειν αὐτὸς τἀργύριον* scribendum sententia flagitat. Etenim quod herus ipse fert pecuniam, non minoris hoc in moribus illius depingendis momenti est, quam quod centesimo quoque passu considens numerat nummos. Item c. XXI quod bene Meierus perspexit in commentatione Theophrastea III p. 5 ita emendanda sunt verba *καὶ τὸν υἱὸν ἀγαγεῖν* (Meierus a Siebenkeesio deceptus *ἀναγεῖν*) *ἀποκεῖραι εἰς Δελφούς*.

Similiter nostro loco, ut iam redeamus ad inliberalem *ἀποκάμψαι ἐκ τῆς ὁδοῦ* scribendum esse adparet, quoniam hoc ipso verbo sententiae vis continetur non eo quod do–

mum revertitur. Sub *ΟΔΟΥΤΗΝ* nihil latet quam *Υ* littera male geminata et *ΚΑΙ* particula (cf. p. 5).

Epitomatorem vulgatae auctorem non minus manifeste in eiusdem capitis fine deprehendimus. Nam verba *καὶ μὴ πρίασθαι θεράπαιναν ἀλλὰ μισθοῦσθαι* qui etiamsi nunc sana esse censeat et cum Hottingero mulieris notionem facile suppleri posse opinetur, is non video quid omnino scriptam inter et cogitatam sententiam interesse statuat. Possunt hercle omnia cogitari, nec, nisi cogitata essent ante menteque concepta, scripta legerentur.

Lacunam explevit PVaticanus et ita quidem ut de librarii commento nemo nisi insanus cogitare possit. Non enim mulieris tantum notio infertur hisce *καὶ τῇ γυναικὶ δὲ τῇ ἑαυτοῦ*, sed ne eo excusatam habeat inliberalitatem, quod indotatam ille uxorem duxisse putetur, additum est *προῖκα εἰςενεγκαμένῃ* quae non est cur cum Meiero III p. 7 *προῖκα καλὴν* scribamus. Cobetus autem Var. lectt. p. 204 hoc loco *προῖκα ἐςηνεγκαμένῃ* edi tradens ac quinque exemplis, quorum uni hoc ipsum intulit *προῖκα ἐπιφέρεσθαι* Graecos dixisse demonstraturus, nostro loco *πρ. ἐπηνεγκαμένῃ* rescribendum arbitratur. Qui doleo quod nec ipsius Theophrasti (c. XXIX) nec Pollucis meminisse videtur, qui (III, 35) haec scripsit *ὥστε εἴποις ἂν εἰςενέγκασθαι προῖκα καὶ δοῦναι.*

Plus aequo cap. XXIV initium interpretes vexavit. Consentiunt autem omnes de eo, nec potest esse dissensus verba *καὶ εὖ ποιήσας μεμνῆσθαι φάσκειν ἐν ταῖς ὁδοῖς καὶ βιάζειν* nullam admittere interpretationem, quippe quae aperte sint mutilata. Nec enim quid in viis faciat narratur nec quem cogat (ut *βιάζειν* ita verti posse aliquantisper largiamur) nec quid denique faciendum evincat, quae omnia ne Hottingerus quidem cogitando habet quomodo suppleat. Totum locum Palatinus ita scriptum exhibet *καὶ εὖ ποιήσας μ. φ. καὶ βιάζειν ἐν ταῖς ὁδοῖς* τὰς διαίτας κρίνειν ἐν τοῖς ἐπιτρέψασι q. s. Quae satis bona sunt

modo melius Hottingero, Astio, Corae eis utamur, quorum primus interpolatoris illa ducens commenta propriis postponere ausus est, suorum ipse inventorum amantior quam alii. Coraes quae corrupta esse concedit, PVaticano magis etiam corrumpi contendit. Astius denique alteram additamenti partem Theophrasto, interpolatori alteram tribuit.

Priora quae cum vulgata PVaticano communia sunt, male ita sunt interpretati 'et si quid bene fecit, meminisse se ait.' Quod non vituperasset Theophrastus, nec falsae sed rectae nobilisque superbiae, quam *μεγαλοψυχίαν* Aristoteles dixit, notam dedisset. Immo hoc dicit memorem se esse beneficii quod alicui obtulerit. Falso quidem gloriatur, nec revera fecit quod dicit. Quae interpretatio egregie firmatur Aristotelis auctoritate. Qui in Eth. Nic. IV, 8 p. 1124 B, 12 de magnanimi moribus disserens haec dixit *δοκοῦσι δὲ καὶ μνημονεύειν οὓς ἂν ποιήσωσιν εὖ.* Differt autem, quod paullo ante a philosopho expositum est, eo magnanimus a superbis (*ὑπερόπται* et *ὑβρισταί*) quod vera ille virtute excellit, hi speciem virtutis affectant *μιμοῦνται γὰρ τὸν μεγαλόψυχον οὐχ ὅμοιοι ὄντες... τὰ μὲν οὖν κατ' ἀρετὴν οὐ πράττουσιν, καταφρονοῦσι δὲ τῶν ἄλλων.* Superbus igitur non factis sed verbis tantum externoque habitu magnanimum imitatur.

In relicuis verba *ἐν ταῖς ὁδοῖς* suspitionem movent, primum quod paullo post eadem sequntur nec quae praecedunt *ἐν τῷ περιπατεῖν* multum differunt, deinde quod alium in vulgata locum tenent alium in PVaticano. Pro *βιάζειν* quod mihi olim placebat *βαδίζων* et a Schweighaeusero et a me ipso coniectum, nunc sperno, alius emendationem expectans.

Quae eodem capite e PVaticano nova prodierunt *ἄνω πάλιν· καί* quamvis genuina esse scio, nolo tamen cum Fossio necessitatem eis tribuere, quod *ἑστιῶν* modo pro *ἑστιᾶν* scribatur, bonam eruas sententiam.

Id quod in cap. XXV verbis *καὶ στρατευόμενος δὲ*

προςκαλεῖν πάντας πρὸς αὐτὸν καὶ στάντας πρῶτον περιιδεῖν nullo modo fieri posse Hottingerus quoque concessit PVaticanum hoc loco secutus, id quod Astium fugisse videtur, qui alias ducem illum haud facile relinquens hic iam ineptum dicit quod aptum videtur illi, quique 'optimum adeo sensum praebere vulgatam scripturam' contendit, hunc scilicet: ignavus militans omnes ad sese convocat, deinde stantes circumspicit inspiciensque videre se ait velle an hostes sint. Quae qui inepta dicat nolo ego ei contra dicere. Atque ut de relicuis taceam hoc saltem apertissimum est hortandi deesse notionem qua pendeant illa *π. περιιδεῖν*. Quam cum suppeditet PVaticanus fidem hoc facit. Totum vero enunciatum ita scriptum in eo extat *καὶ στρατευόμενος δὲ π ε ζ ο ῦ* (suprascripto *ῇ* super *οῦ*) *ἐκβοηθοῦντός τε προςκαλεῖν κελεύων πρὸς αὐτὸν στάντας* et q. s. Num vero *κελεύων* genuinum habebimus, relicua interpolata? Quae quidem Astiana esset ratio. Id igitur quaerendum, ignavus qualem hoc loco se gerat.

Fossio quidem I p. 35 sq. facilis ad expediendum locus videbatur, quem ego difficillimum esse censeo. Merito enim in *πεζῇ* vocabulo interpretes offendisse puto (cf. Hotting.). Ipse vero quam maxime offendo in *πρὸς αὐτὸν στάντας* verbis. Quaenam tanti timoris causa, ut quamvis ipse cum 'ordine suo post aciem constitutus sit' necdum ad proelium educatur, praeter multos praesentes etiam eorum nonnullos retinere studeat, qui in pugnam deducuntur? Quod ne convenit quidem timido. Qui quos in periculum proruentes conspicit, non retinet, sed gaudet dum ipse procul stet.

Sed ne longus sim priora ad codicis vestigia ita restituo *καὶ στρατευόμενος δέ, ἐκβοηθοῦντος τοῦ πεζοῦ παρακαλεῖν* — quos enim advocare (*προςκαλεῖν*) putas illum, qui, cum ipse haud dubie inter medios sit auxiliarios, non potest quibuscum una est, ad se advocare dici; neque si non inter eos esset, cur advocaret causam haberet.

Quid autem iubere, vel ne ducem fingere videamur, quid hortari censes? *πρῶτον περιιδεῖν* ut speculentur primum et circumspiciant, in proelium scilicet antequam irruant, apertissime enim haec illi *ἐκβοηθοῦντος* opponuntur. Pro *πρὸς αὐτόν* ego *αὐτοῦ* scribendum esse censeo, talemque corruptelae originem fuisse puto ut a correctore ad *παρακαλεῖν* adscriberetur *προς* quasi voluisset *προςκαλεῖν* scribendum propter vicinum fortasse *κελεύων*. Illud autem *προς* duobus locis in verba irrepsit. Cur denique subsistere iubeat egressuros causam addit hisce *ὡς ἔργον διαγνῶναί ἐστι πότεροί εἰσιν οἱ πολέμιοι* ita enim recte *πότερον* emendavit Schwarzius. Timidus cum in mora salutem fore speret, morandi nunquam non reperit causam. Iam igitur id ipsum temporis momentum describitur, quo pedites proruunt, ut succurrant. Ignavus, ut breve tamen temporis spatium lucretur, hortatur milites ut illic, nondum enim e castris egressi sunt, subsistant circumspiciantque utri sint hostes, ne suos videlicet invadant.

Proelio exorto confugit miser ut gladium, quem propter nimiam festinationem nimiumque pugnandi ardorem reliquerit in tentorio petat. Tentorium ingressus puerum dimittit hostes ubinam sint exploraturum propter metum tam quam ut gladii abscondendi occasionem nanciscatur. *Εἶτα διατρίβειν πολὺν χρόνον.* Quibus ad plenam quod deerat sententiam, Casaubonus vertendo supplevit 'deinde ea (spatha) quaerenda longum tempus terit.' Atque hoc in graecis quoque omni modo esset restituendum etiamsi non suffragaretur PVaticanus; qui quod praebet *ὡς ζητεῖν* a Schneidero in *ὡς ζητῶν* correctum est.

Ignavi animum ubi recte perspexeris proximum quoque additamentum PVaticani genuinum esse et necessarium iudicabis. Manet ille in refugio suo, dum vulneratum ab amicis adferri conspicit. Tum vero ignavia ne patefiat, id quod maximo opere studet evitare, neve, cur aciem deseruerit, ab illis interrogetur, occurrit ultro solaturque

vulneratum προςδραμεῖν καὶ θαρρεῖν κελεύσα. Quae cum in vulgata haece statim excipiant καὶ τοῦτον θεραπεύειν καὶ περισπογγίζειν primum interrupta videtur oratio, siquidem non in via curare illum et lavare putandus est. Deinde quod occurrit illis et adstat solatus, non sufficit neque ab illis ne interrogetur satis firma videtur cautio. Immo id agit ut nec illis interrogandi nec respondendi sibi spatium sit. Quare haud dubium est quin ipse ferentibus succurrat uti legimus in PVaticano.

Cui quidem incerta res videatur quique meliorem inlustrioremque additamento illo narrationem reddi quamvis concedat, neget tamen licere in verba scriptoris inferre meliora, eum Coraes contemptor ceteroquin PVaticani refellet. Qui commode observavit ad verba ὑπολαβὼν φέρειν servata ea in PVaticano omissa in relicuis referenda esse quae in fine capitis omnibus communia sint codicibus διηγεῖσθαι ὡς αὐτὸς αὐτὸν ταῖς ἑαυτοῦ χερσὶν ἐπὶ σκηνὴν ἐκόμισεν.

In cap. XXVI brevibus esse licet quod de primo saltem additamento nemo dubitavit. Cum enim e vulgata et quid velit populus lateat, et dativus τῷ ἄρχοντι unde pendeat, nec factiosum facile quis hominem agnoscat eum qui deliberanti populo atque haesitanti proponat qui eligantur.

Siebenkeesius autem qui alias fuit neglegentissimus hoc loco totum fere versiculum omisit. Extant enim in PVaticano post ἱκανὸς εἷς ἐστιν haec τοῦτον δὲ ὅτι δεῖ ἄνδρα εἶναι, quae non aptissima tantum sed paene necessaria dixerim. Quippe cum in ipso initio tota haec narratio posita sit, atque definitionem excipiat, mireris profecto quod id solum agat homo inperiosus ut in alios quam maximam conferat potestatem. Nihil enim de se loquitur. Quod perspexit Casaubonus qui ut tum res erat satis acute pro ἀποφήνας ἔχει coniecit ἀποφῆναι ἑαυτόν. Ita tamen nimis aperte parumque prudenter ille rem suam ageret. Iam vero postquam aliis refragatus ἱκανὸς εἷς ἐστιν dixit

ita si pergit 'eum autem virum esse oportet' hoc significare videtur sese virum esse talem, quali ad rem bene gerendam opus sit.

In fine huius capitis quod PVaticanus praeter cetera addit *αἴτιον* id ipsum vulgatae deesse negari nequit, et a Casaubono olim inventum est.

Maledicus cum parum apte c. XXVIII dicere videretur *ἐγὼ δὲ τοῦτον τὸν ἄνθρωπον πάντων μεμίσηκα*, Casaubonus *μάλιστα* addendum coniecit, quod, PVaticanum ni nacti essemus nunc quoque staret. Quamquam non poterat hoc nullam movere suspitionem, quod cum consilio vix omissum esse potuisset, neque erroris causa perspiciebatur. A qua suspitione vacuum est PVaticani *πλέον πάντων*.

Eximiam in aliquo pravitatem notaturus sic incipit maledicus *ἡ δὲ πονηρία οὐδενὶ ὅμοια* (ita cum ipse emendassem idem Fossium voluisse comperi). Pergit deinde e vulgata sic *σημεῖον δέ. τῇ γὰρ αὐτοῦ γυναικὶ τρεῖς χαλκοὺς εἰς ὄψον δίδωσι* et q. s. Quae exigua sane summa est; at quodnam hoc in homine summa inopia oppresso pravitatis argumentum, praesertim cum ad opsonandum tantum dederit. Ne enim pauperem et mendicum nobis fingeremus, divitem hominem esse addendum erat. Quid igitur Vaticanus? Meliora adeo praestat, quam quae iure nostro expectamus. Non enim virum divitem dicit, sed uxorem uberrimam illi dotem adtulisse, atque insuper filium peperisse quod parum considerate Astium damnasse Lysias 1, 6 arguit. Quo iam efficitur ut quod ante ne culpa quidem nedum inmanis nequitiae visum indicium, inprobum revera et inhumanum hominem depingat. Graeca haec habes *τῇ γὰρ αὐτοῦ γυναικὶ τάλαντα εἰςενέγκαμεν ἣ προῖκα ἐξ ἧς παιδίον αὐτῷ γεννᾷ* (in margine *γέγονε*) *τρεῖς χαλκοὺς εἰς ὄψον δίδωσι.* Ubi quin *εἰςενεγκαμένῃ* scribendum sit non puto fore qui dubitet. Pluralem *τάλαντα* nullo addito numero ita ferri posse

Fossius contendit atque confert Antiphanis versus (Mein. 3, 131)

Τῷ σατραποπλούτῳ δ' ὡς λέγουσι νυμφίῳ
κεκτημένῳ τάλαντα, παῖδας ἐπιτρόπους
ζεύγη, καμήλους, στρώματ', ἀργυρώματα.

Quo loco ne potuisse quidem addi numerum perspicitur absque eo diversissimum esse nostrum. Atque quid est facilius, quam ne una quidem litterula mutata scribere τάλαντα εἰσενεγκαμένῃ προῖκα ἕξ, quae verborum collocatio videtur quidem inusitata, est autem rectissima. Perpulchre enim τάλαντα primum, ultimum ἕξ numerus tenet locum, ut non possint haec maiore cum vi pronunciari. Alterum hoc est, quod ut τάλαντα et χαλκοῦς opposita haud dubie voluit scriptor, ita et numeros iam vides oppositos ἕξ — τρεῖς.

Simul et quae sequntur faciliora erunt ad expediendum. Quod enim in margine ascriptum γέγονε alteri scripturae praetulit Fossius, id vereor ut iam quisquam cum eo faciat, quoniam apertissimum est et γέγονε correctionem et genetivum ἧς ab eo ducere originem, qui εξ non pro numero haberet sed pro praepositione. Omnino ita ea scribenda sunt, ᾗ τε παιδίον αὐτῷ γεννᾷ. Praesenti autem tempore pro perfecto in pariendi praesertim verbis saepissime Graecos usos esse notissima res est. Quibus exemplis quod olim addidi finem cap. XXVIII cum Fossio consentiens, de eo mutasse me sententiam adnotatio te docebit.

Quibus PVaticani auctoritatem satis puto firmatam esse. Attamen pauca exempla colligam eorum quae necessitatem non habent, ut ab Hottingeri Astiive criminationibus liberem, quamque ut in emendandis vel recensendis ita in explicandis quoque leves fuerint ostendam.

Homo diffidens quod c. XVIII argentum numerare dicitur considens καθίζων unius PVaticani auctoritate, id uno ore ineptum esse clamant. Quos Fossius II p. 8 refutavit

clamores. Nihil enim eiusmodi si additum esset, haud dubie stantem nummos numerare intellegeres; quam maxime opportunam furibus nummorum eripiendorum occasionem praebuisset. Profecto melius ille cavet. Considit inflexo corpore caram pecuniam tegens gremioque abscondens, ne cernantur adeo nummuli timidus.

Ad foedi descriptionem c. XIX cum e PVaticano accessissent haec *καὶ ἀναπίπτοντος ἐν τοῖς στρώμασι μετὰ τῆς γυναικὸς αὑτοῦ κοιμᾶσθαι,* corruptum verbum *ἀναπίπτοντος* ita emendarunt (*ἀναπίπτων τε*) ut sententiam efficerent, quam ab hoc loco alienam esse ipsi iudicarent. Pulchra sane ratione! Itaque si quid inest inepti, editoribus hoc debetur. *Ἀναπόνιπτος,* quod ipse inveni et Badhamum vidisse postea cognovi. Aviculam quod *μικροφιλότιμος* c. XXI alere narratur splendideque ornare, id tam pusillum esse Astius contendit ut grammaticum antiquitatis scientiam ostentantem prodat. Quid? quod pusillae homo ambitionis pusilla agit, gloriatur pusillis, hocine ineptum est? Quidni ea quoque quae de canicula narrantur Melitensi, puerilia esse iudicavit?

Nec Hottingerus homuncionis illius animum melius perspexit. Qui quod e PVaticano prodiit *ἐν τοῖς μύωψι* hisce inpugnavit 'allein sollte wohl die Athenische Windbeutelei bei der weit einfacheren Form antiker Spornen ihre Nahrung gefunden haben?' De ostentatore capitis XXIII eum loqui putaveris. Gloriolae cuiusvis cupidus noster revera comissatus est, nec falsa specie gloriari cupit, iam vero omnes quanti particeps fuerit honoris, ut pernoscant, splendidam equitum vestem diligenter in collum coniciens, calcaribus ornatus in foro deambulat. Possem et e capite XXIII et ex aliis multis exempla desumere, sed sufficere puto pauca, plura autem colligere tam inutile esse quam molestum video.

Itaque de additamentis codicis PVaticani quae instituenda erat quaestio, absoluta est, neque iam dubitari

potest quin vulgata ab epitomatore nescio quo confecta sit, qui quae aut non intellegeret aut iusto longius a scriptore narrata esse putaret, omitteret; contra in uno PVaticano dimidiam characterum partem integriorem servatam esse adparet, ut ab hac parte praestantissimus merito liber dicatur. At ab altera quoque praestat, ut qui in eis, quae cum relicuis libris communia habet, genuinam solus saepe scripturam servavit. Quae exempla cum Fossius I p. 11 collegerit, repetere nolo. Eo tamen a Fossio dissentio, quod cum ille singularum scripturarum praestantiam additamentis quoque fidem facere putaverit, ego ex relicuae scripturae praestantia de additamentorum pretio nihil concludi posse arbitror. Quidni is, quem Theophrasti verba suis olim inventis auxisse quidam sibi persuaserunt, codice uti potuisset vacuo a multimodis maculis, quae aut essent tum adspersae aut postea adspergerentur relicuis libris? Neque hoc non poterat ab illis praetendi, scripturarum PVaticani praestantium maximam quidem partem ita esse conparatam ut ab interpolatore illo linguae graecae antiquitatisque ceteroquin satis perito, quae corrupta invenirentur, emendari potuissent. Nonnunquam autem quae in PVaticano corrupta sunt recte scripta extant in vulgatae codicibus.

Ad quos priusquam transeamus recensendos, de ea characterum forma iudicium ferendum est, quam in codice Monacensi olim Augustano DV litteris signato Chr. Wurmius invenit. A quo descripta in actt. phil. Monac. tom. III fasc. 3 anno CIƆIƆCCCXXII inde a p. 365 Fr. Thierschius edidit. Post ipse quam potui adcuratissime codicem contuli, et multa inveni, in quibus parum diligenter munere suo functum esse Wurmium viderem.

Quod prooemium et priora quinque capita integra, deinde sequentium sedecim partes tunc primum genuina forma edi Thierschius gloriabatur, id nemini persuasisse videtur. Nec hercle poterat.

Omnis illius argumentatio eo redit, ut conparatione

instituta Monacensem inter et vulgatam, in illa ʻpura ac sincera Theophrasti verba' exhiberi censeat, in hac contra Maximi Planudis metaphrasin, qua de multi dixerunt, nemo non nescit, investigasse sibi videatur. Quam opinionem inpugnaturi alia via ingrediemur ita, ut a necessitate, quae quidem in illius argumentatione nulla inest, transeamus ad veri similitudinem. PVaticanam autem recensionem, quae tunc certe non minus nota erat quam hodie, ita prorsus tacuit, ut ignorasse videatur. Attamen summi ea in hac quaestione momenti erat, quod iam non unus aliquando brevissimam illam characterum formam suis auxisse videretur, sed posthac alium priori et ingenio et consilio similem extitisse statuendum esset.

Ponamus igitur primum e vulgata confectam esse PVaticanam recensionem. At cum in Monacensi c. XVI extent verba *ὁμοίως γλαῦκας δειδίττονται* et paullo post *καὶ τετράδας καὶ ἓξ ἡμέρας ἀσφαλίζονται*, qui quaeso factum esse putas, ut in vulgata haec omitterentur, in PVaticana denuo adparerent, nisi forte PVaticanae auctorem praeter vulgatam ipsam quoque Monacensem consuluisse tibi persuadeas, quod omni veri similitudine caret? Nam qui adeo non est brevi alicuius libri forma contentus ut sua intermiscere conetur, is profecto eam non curabit, quae brevi brevior est.

Contra si ab eo proficiscimur, quod modo demonstravimus vulgatam e PVaticana excerptam esse, tum, quod antea nihil probabilitatis habere videbatur, prorsus concidit. Etenim, quae in vulgata c. XI inde a verbis *καὶ οἰνοπωλῶν κεκραμένον τὸν οἶνον τῷ φίλῳ ἀποδόσθαι* usque ad finem capitis legebantur, ea perperam huc inlata esse, dudum observatum est, nec postquam PVaticanus inventus est, tricesimi *αἰσχροκερδείας* characteris quin pars sit dubitari potest. Cuius titulum quidem cum alii codices produnt tum ipse Monacensis DV. Attamen in hoc quoque quae cap. XXX sunt male posita sunt inter capitis XI

verba *καὶ ἀποδημοῦντα δημοσίᾳ* (non *δημοσίως*) *τὸ ἐκ τῆς πόλεως ἐφόδιον καταλιπεῖν οἴκοι, καὶ ὅσα παρόμοια.* Quodsi e Monacensi recensione PVaticanam, ex hac vulgatam confectam statuas, hoc quoque statuas necesse est, PVaticanae auctorem hominem acri iudicio praeditum id quod in Monacensi perperam collocatum perspexisset, in suum recte locum retulisse, tum vero vulgatam qui conponeret miro errore in eandem perversam c. XI sedem reposuisse.

Neutrum igitur fieri potuit. Quotquot autem omnino vices cogitari possunt sub oculorum conspectum pono, quarum, quae per se cadunt uncis inclusi

V—P—M.	[M{P V]
[V — M — P]	P—V—M
V{P M	[P—M—V]
M—V—P	P{M V
M—P—V.	

Neque relicuarum si, quae de cap. XVI verbis *καὶ ὁμοίως γλαῦκας* et q. s. cum eis quae de cap. XI verbis transpositis disputavimus, coniunxeris ullam fieri potuisse intelleges praeter unam postremo loco positam, ut e PVaticana editione (plenam dico, cuius dimidia nunc superest pars) altera ex parte vulgata, ex altera Monacensis derivata sit. Quae quidem a PVaticano ubi discrepat quod consentit cum vulgata, id qua ratione sit explicandum infra demonstrabitur.

Iam vero ut Thierschii ratiocinationem paullo etiam adcuratiori censurae subiciam, quaenam illa fuit ratio, ut, cum a quinto inde capite non integros Monacensem characteres praebere ipse concederet, quae a prooemio et prioribus quinque capitibus, si cum vulgata conparares, abessent, ea non eadem qua relicua causa abesse statueret? Ita certe ratiocinari decebat, ut cum posteriora cer-

tissime proderent epitomatorem ad eundem auctorem, quae in prioribus brevius dicta essent referret.

Etiamsi vero cum vulgata priora capita non liceret conferre, posses tamen vel sic epitomatorem deprehendere prooemii fine ubi verba *ἴσως ἔσονται βελτίους ἡμῶν οἱ παῖδες* (quae praeterea ita ille videtur accepisse, ut genetivum a conparativo pendere putaret, quod ab hoc loco alienissimum est) nullo prorsus modo cum proximis cohaerent. Cap. I in verbis *καὶ συνάχθεσθαι πάσχουσι κακῶς* desideratur *τούτοις* quo uno declaratur ironia. Neque haec *προςποιεῖσθαί τε ἄρτι ἢ ὄψε παραγενέσθαι* magis recte cogitata sunt vel scripta quam ea, quae sequntur *καὶ ἀκούοντα προςποιεῖσθαι μὴ ἀκούειν ἢ μὴ μεμνῆσθαι*, aut quomodo coniungas *ἀκούοντα μεμνῆσθαι*? Quae sufficiant exempla.

Unum hoc addo, quod ab eodem epitomatore excerpta esse videntur, quae Theophrastea in codice Monacensi sequntur Ethicorum Nicomacheorum ni fallor laciniae, quaeque praecedunt Andronici Rhodii *περὶ παθῶν* libelli fragmenta e libro ceteroquin meliore quam quo princeps editor usus est Hoeschelius[1]) derivata.

---

1) Excerpta esse facile ex ipso initio cognoscas; nam pro eo quod

ab Hoeschelio editum est	in Monacensi haec sunt
πάθος ἐστὶν ἄλογος ψυχῆς κίνησις δι' ὑπόληψιν κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ καὶ παρὰ φύσιν τῇ ὁρμῇ πλεονάζουσα.	*πάθος ἐστὶν ἄλογος ψυχῆς κίνησις τῇ ὁρμῇ πλεονάζουσα.*

Deinde quae apud illum aliae sequntur definitiones, omnes in Monacensi omissae sunt.

Alterum quod dixi e bono libro excerpta esse haec doceant exempla (Hoesch.)

σύγχυσις δὲ λύπη διορᾶν τὸ δὲ μέλλον οὐ κωλύουσα.	*σύγχυσις δέ ἐστι λύπη διορᾶν τὸ μέλλον κωλύουσα.*
φιλοχρηματία δὲ ἐπιθυμία ἄχρηστος ἢ ἄμετρος χρημάτων ἐπιθυμία.	*φιλοχρηματία δέ ἐστι ἀκόρεστος διάθεσις περὶ χρημάτων κτῆσιν.*

Atqui Theophrastea quae codice illo continentur, e codice pleniores necdum excerptos conplexo characteres deducta esse verbis *ὁμοίως* q. s. demonstratur. Possis autem de eo mirari, quod quamquam priora longe uberiora et pleniora Monacensis servavit, nihil tamen inde novi prodiit praeter unum c. XIII locum *καὶ ἀτραποῦ ἡγεῖσθαι τὴν ὁδὸν καταλιπόντα*, ubi postrema nova sunt, et alterum c. I ambiguae fidei *πάσχουσι κακῶς* insertum hisce *καὶ συνάχθεσθαι πάσχουσι κακῶς ἢ ἡττημένοις*. Quorum ambiguam fidem dixi, quoniam auctor epitomae non excerpsit tantum sed et ea, quae retinuit, mutatis saepe verbis dedit, sui scilicet quam Theophrastei sermonis amantior. Qualia sunt c. II *ἐπαινεῖν ἀναφανδόν* pro *ἐπαινεῖν παρόντας*, ibidem *ὑπομειδιῶντα εἰπεῖν* pro *ἐπιγελάσας δὲ εἰπεῖν*. Quo fit ut ad vulgatam emendandam non nisi summa adhibita cautione uti eo liceat.

Illam vero dubitationem, quod, quamquam e pleniore recensione Monacensis derivatus est, fere nullis tamen vulgatam augeat, eam ita dissolvi credo ut vulgatae auctor in prioribus capitibus nihil fere praeter singula verba omiserit, et paullatim modo sive scribendi taedio adfectus, seu aucta excerpendi facilitate audacior factus sit in amputandis scriptoris verbis, idem quod et in Monacensi epitoma observare licet.

Neque vero prioribus omnino pepercisse eum et c. XIII loco et c. XXX fragmento declaratur, quod ante illius, qui vulgatam confecit aetatem de sede sua motum esse intellegis. Ipsarum vero turbarum hanc fere originem atque viam fuisse conicio, ut transposito ultimo folio in cuius interiore pagina finis scriptus esset inde a verbis *καὶ οἰνοπωλῶν* haec postea iam caput XI exciperent. Atque hac forte factum est transpositione ut exterior paenultimi folii pagina, quae c. XXIX totum atque initium c. XXX teneret, utpote nullo iam involucro tecta, tam male haberetur, ut, qui postea codicem describeret ultra c. XXVIII progredi

non posset. Quod ita factum esse non adfirmo, fieri non potuisse nego.

Hinc iam ad vulgatam pergimus, cuius certam nobis imaginem informemus necesse est, id quod paullo difficilius est propterea quod permultis eisque et capitum numero et propria indole maxime diversis propagata sit codicibus. Postquam enim ineunte saeculo XVI Pircamero editore e codice Italo priora quindecim capita in lucem prodierunt, Camotius eodem saeculo fere medio XXIII priora edidit e codice, quem cum Fischerus (praef.) ex eodem cum Guelferbytano suo altero fonte fluxisse suspicaretur, equidem a Guelferbytano illo omnino non diversum esse pro certo adfirmo. Postea nova quinque e Palatino codice descripta Casaubonus primus edidit. Atque multi circa idem tempus et postea codices reperti sunt, ut iam vulgatae recensionis plus minusve noti sint amplius triginta codices XXVI scilicet quindenorum, III vel IV vigenorum ternorum, IV denique duotrigenorum characterum.

E quibus cum ingentem scripturarum copiam editores congesserint auctam eam priorum editionum scripturis una cum typothetarum multimodis erroribus a Fischero diligenter collectis, maximo opere ut ab inutili illa nec non molestissima farragine liberemur optandum est, utque uno paucisve codicibus pro certo fundamento nitamur. Difficilis ea quaestio est, quod de magna codicum parte tam pauca in notitiam nostram venerunt, ut ad coniectandum plerumque cogamur. Atque ne pauca quidem illa ea saepissime nobis fide tradita sunt, ut nulla restet dubitatio. Siebenkeesii quidem Goeziive, quibus unum si excipis, quod de Palatino codice (n. 126) Amadutius narravit p. 15, omnem Vaticanorum codicum notitiam debemus, tantam cognovimus socordiam ut paene nihil illis credere melius esse videatur. Atque adeo ipsi sibi contradicunt cum alia in anecdotis Graecis narrentur alia in editione. Neque postea defuerunt qui non ea qua par erat diligentia

usi sunt, velut Schneiderus, qui in praef. adnotationis vol. IV p. 824 Rhedigeranum codicem 'omnes simul characteres scriptos' habere tradidit, cum non magis quam Casauboni Palatinus ultra duodetrigesimum prodeat.

De origine vero atque cognatione codicum nihil omnino dictum est nisi quod in praefatione Fischerus dixit 'quum omnes qui supersunt codices, vix dubium videatur, quin derivati sint et deducti ex uno fonte certe in characteribus XV prioribus.' Quae postea Fossius repetiit I p. 11 'codices e quibus vulgata Theophrastei libelli exemplaria sunt exscripta, nec vetustate nec bonitate admodum probari nemo ignorat, nisi qui ipsum librum ignorat, ... ut unam quasi familiam quandam esse recte statuas stirpe nec antiqua valde nec plane integra generatam.' Parisinorum, quos decimo saeculo scriptos dicunt, non meminit. Atque de una illa familia quod dixit certe magis est falsum quam verum. Nam hoc quidem nulli dubitationi obnoxium est, quin ex uno libro omnes vulgatae, quam dicimus, exempla sint deducta, quoniam eadem in omnibus omissa sunt. Quocum non pugnat quod c. XXIV verba *οὔτε λουόμενον* et c. XXVI *περὶ τούτων* cum PVaticano unus servavit Rhedigeranus; neque tantam illud Rhedigerani praestantiam commendat, quantam eo Schneiderus probari voluit. Sunt enim illa non a vulgatae auctore omissa sed errore librarii qui Palatinum illum scripsit librum sicut in ipso Rhedigerano c. XXVI deest *λόγους* post *τοιούτους* cum adsit in Palatino[1]. Eum vero propter consensum qui unam dicat familiam vereor ne parum adcurate loquatur.

Numerum, ut ab eo incipiam, si spectas, cum alii XV, alii XXIII, alii denique XXVIII capita teneant, videtur hoc

1) Noli mirari quod unum tantum Palatinum semper dico. Quamvis enim in fine libelli et in c. XXIV de libris Palatinis loquatur Casaubonus, tamen unus quin sit dubitari nequit; aut duo essent quasi pro uno habendi.

eo deducere ut qui numero consentiant cognatos esse nobis persuadeamus. Palatini quidem scripturas inde a cap. XXIV (quae enim in prioribus praebeat ignoramus) si cum Rhedigerani confers, maior aliqua discrepantia intercedere videtur. Sed fallit species. Totum enim discrimen librariorum neglegentia ortum est et maxime quidem eius, qui Palatinum scripsit. Quem omisisse complura litterarum similitudine deceptum supra memoravimus. Quae praeterea sunt graviora hic habes

	Rhed.	Palat.
c. XXV	θαρρεῖν	θεωρεῖν
c. XXVI	γλιχομένη	γλιχομένους
	ἢ ἐμέ	κἀμέ
	πάσχομεν	πάσχειεν
c. XXVII	ταύτας λέγων	ταῦτα ἄγων
	ἱππάζεσθαι	ἀσπάζεσθαι
	κατεαγέναι	κατεσχέναι.

Alia cum in Palatino recte scripta sint, perperam sunt in Rhedigerano velut c. XXIV ὑπερήφαντος ibidem προςληψόμενος pro πρός σε ληψόμενος c. XXVI οὐράν pro κουράν. Alia denique in alterutro correctoris manus experta sunt, velut τοῖς τοιούτοις τῶν λόγων quod in Palatino c. XXVI correctum est pro τῶν ὀλίγων PVaticano cum Rhedigerano communi menda, vel in hoc c. XXV καὶ μυίας ἀποσοβεῖν pro simplici σοβεῖν. Atque de Rhedigerano plura infra disputabimus.

Illa autem si reputaveris, addiderisque corruptelas quasdam utrique communes, quarum unam nunc memoro c. XXIV pro φάσκειν scriptum φαγεῖν, non iam dubitabis, quin ex uno libro ambo sint descripti.

De Barberino codice (n. 374) quem a Petronio olim collatum esse Amadutius testatur p. 14 cuiusque scripturas aliquot per Garatonium extrahere sibi licuisse profitetur p. 101 adn. 7 hoc licet suspicere Rhedigerano eum fuisse simillimum. Quas enim ex eo Amadutius enotavit

scripturas, earum tres (c. XI sive XXX) συμπρεσβέων — ὑποπιᾶσθαι — ἡμίσεα cum uno consentiunt Rhedigerano (de Palatini hac parte nescire nos memineris). Quapropter quartam φειδομένῳ, quae cum uno PVaticano consentit, donec plura de codice illo nota erunt, addubitare liceat. Si recte vidit Amadutius correctum esse intelleges. Sequebantur praeterea ut in Rhedigerano ita et in Barberino prooemii finem triginta capitum indices, quorum ultimi erant φιλοπονηρίας, αἰσχροκερδείας. Neque in Palatino Casauboni idem alio loco indices scripti fuisse videntur, quamquam Casaubonus quae hac de re narrat, tam sunt obscura, ut a Frehero notitiam illius rei accepisse videatur non satis adcuratam. Quem autem librum Palatinum eo loco commemorat XXIII capitum similis fuisse videtur Monacensi codici n. 327 quem postquam Astii in usum Krabingerus contulit ego denuo totum contuli, et Trinitatis collegii codici.

Quos si cum Rhedigerano conferas, magni sane momenti est illud, quod XXIII solum capita cum teneant indices tamen ante primum caput praemissi sunt omnes triginta. E quibus si hanc XXIII capp. editionem ex altera XXVIII capp. derivatam esse suspicere probabilis haec coniectura erit, et adeo certa, modo utriusque recensionis scripturas in cap. XVI eisque quae sequntur septem inter se conparaveris. Tribus fere et viginti locis discrepant quorum quindecim levissimi generis errores a Rhedigerano librario commissi sunt, velut c. XVI οἷος pro ὅς scriptum, προςέχων pro προςέχειν, κατασχεῖν pro καταχεῖν aliaque simillima. Relicua ea sunt, quae casune an consilio librarius mutaverit dubius haereas, velut παραδράμῃ c. XVI quam coniecturam, cum olim περιδράμῃ corruptela invasisset, et Monacensis epitomae auctor invenit; vel eodem cap. λέχῃ pro λέχει quod e λεχώ corruptum esse PVaticanus arguit, vel θεῷ pro θεῶν similia.

Quibus adparet XXIII capitum recensionem vel Monacensem (327) — e quo non dubito quin et Cantabrigien-

sis codex vel Trinitatis collegii (T) et altera Guelferbytani (26) pars descripti sint — e XXVIII capitum codice deductum esse. Quem codicem non ipsum Rhedigeranum fuisse sed eiusdem generis antiquiorem et scriptum paullo adcuratius, non est quod moneam.

Quantus autem post c. XV consensus codicum tantus in prioribus dissensus, atque hic et in rebus gravioribus a XXVIII capp. recensione non semel Monacensis discedit. His ipsis autem in locis cum eis codicibus consentit, qui XV priora tantum habent, non omnibus eis, sed plerisque, quos infra pluribus definiemus, ita ut hoc pro certo possit adfirmari, Monacensem conflatum esse e duobus, altero breviore XV capitum, altero ampliore XXVIII, eosque inter medium quodammodo locum tenere. Atque eum qui confecit, cum pleniorem haberet, noluit in cap. XV finem facere, ad cap. XXIV tamen usque progressus, satis fecisse sibi visus, taedio cessit.

Quem modo eorum, qui XV capitum numero consentiunt, codicum dissensum significavimus, eum adcuratius iam examinemus et explicemus necesse est. Quorum omnium antiquissimi sunt Parisini duo (AB litteris a Needhamo, qui primus eorum scripturis usus est, insigniti) praeter pauca quaedam consentientes, ut ex eodem utrumque libro descriptum esse manifestum sit, cum alterum ex altero descriptum quominus ducamus, discrepantiae inpediant. Ex his igitur reliquos XV capitum codices descriptos esse putaveris, Gallicos dico tres (CDE Needhami) Baroccianum, Guelferbytanum (unum dico antiquiorem n. 21 et Monacensem n. 490, quem item post Krabingerum ego contuli. Ceteros enim secludere ab hac disquisitione satius erit, cum certi nil dici de eis possit, conici quantum posse videatur, infra exponam.

Consentiunt quidem saepe illi quos modo nominavi cum altero praesertim Parisino B, est tamen ubi discedant ab eo; neque minus ab Parisino A, faciantque cum Rhedi-

gerano h. e. XXVIII capp. recensione. Qua re bene perspecta omnes sine magno negotio difficultates expedientur. Quam in Rhedigerani librario neglegentiam scribendi atque socordiam supra cognovimus, ea et in hisce capitibus factum est ut multo major inter hanc et alteram recensionem XV capp. discrimen intercedere videatur, quam revera fuisse mihi persuasi. Neque dubito si quando Rhedigerano antiquiorem eiusdem generis codicem conparare contigerit, quin magnam discrepantiae partem, quae nunc quidem CXLV fere exemplis constat e librarii incuria ortam esse perspecturi simus. At praeter haec, quae quidem post videntur irrepsisse, quam contaminatae illius XV capp. recensionis quicunque auctor fuit pleniore XXVIII capp. codice usus est, antiquiores haud paucae sunt discrepantiae tales, quales aut Parisinos antiquissimos aut pleniorem illam recensionem a grammatico quodam interpolatos esse doceant.

Vtramque vero recensionem ex uno olim codice XXVIII capita conplexo derivatam esse certissimo argumento demonstrari potest. Etenim c. IV cum Rhedigeranus (R) habeat haec *καὶ ἀριστῶν δὲ ἅμα καὶ τοῖς ὑποζυγίοις ἐμβαλεῖν τὴν θύραν· καὶ κόψαντος τὴν θύραν ἐπακοῦσαι αὐτός,* atque eadem in Parisinis scripta sint omissis illis *καὶ κόψαντος τὴν θύραν,* certo hoc certius est eum qui Parisinorum archetypum scripsit eandem quam R servavit prae oculis habuisse scripturam, sed in *τὴν θύραν* verbis deerrasse oculos itaque quae dixi omisisse eum. Consentiunt igitur in vitio apertissimo, sed ita ut e Parisinis Rhedigeranus nullo modo descriptus esse possit, quod in illis perierunt quae in hoc servata sunt genuinae scripturae vestigia [1]). Praeterea numerus quoque capitum, quominus

1) Fossius de hoc loco disserens quid sibi velit, qualemque corruptelae originem sibi fingat, quippe qui *ἐμβαλεῖν καὶ κόψαντος* verum esse putet, equidem cogitando assequi non possum.

e Parisinis vel communi eorum fonte, quem item XV capita tenuisse adparet Rhedigeranam recensionem derivemus inpedit. Parisini ex altera recensione cur nequeant esse deducti id mox patebit.

Itaque hoc sumus adsecuti, ut uno ex archetypo altera ex parte Parisinos, ex altera XXVIII capp. librum descriptum esse videamus, e quo praeter Barberinum illum et Casauboni Freherive Palatinum Rhedigeranus manaverit, ceteros plerosque ex utraque contaminatos esse recensione. Id igitur explorandum erit utrum Parisinis an Rhedigerano ad archetypi formam restituendam ducibus utendum sit. Quod ut recte possit diiudicari utriusque scripturas congessi. S littera, quam alterutri ubicunque ascripsi contaminatos XV capp. codices signatos esse volui nec non eos qui XXIII tenent, quippe qui in prioribus XV capitibus cum illis faciant.

	Parisini AB	Rhedigeranus
c. I	*εὑρεῖν ἐστιν οὐ χεῖρον ὄν*	*οὐ χεῖρόν ἐστιν εὑρεῖν οὐδέν* (S *οὐ χεῖρον* et nonnulli *ἔστιν εὑρεῖν*)
c. II	*πορευόμενον ἅμα*	*ἅμα πορευόμενον* S
	ἐπαινέσαι δὲ ἀκούοντος	*ἐπαινέσαι δὲ ἄκοντος* S
	σκώψας τι ψυχρῶς S	*σκώψας τι πικρῶς*
	παραμένων εἰπεῖν S	*παρακειμένων εἰπεῖν*
	ἠρχιτεκτονῆσθαι S	*ἄρχεσθαι τεκτονεῖσθαι*
c. III	*παρακαθεζόμενος* S	*παρακαθέζεσθαι*
	καὶ ὅτι ἀγρὸν εἰς	*καὶ ὃ ἀγρὸς εἰς* S
c. IV	*ἅμα τοῖς ὑποζυγίοις* S	*ἅμα καὶ τοῖς*
	οὗτος φυλάττει S	*οὕτως φυλάττειν.*
c. V	*καθίστασθαι· καί*	*καθίσαι. καί* S
	ἀγοράζειν αὐτὸν μέν S	*ἀγοράζειν μὲν αὐτόν*
c. VII	*τῷ ἐντυγχάνοντι* S	*τῷ ἐντυχόντι*
	ἐκ τῆς οἰκίας	*εἰς τὴν οἰκίαν* S

c. VIII *διηγεῖται δὲ τούτους φάσκων λέγειν ὡς Πολυσπέρχων* S	*διηγεῖται δὲ τοῦτο φάσκων λέγειν Πολυσπέρχων*
ταῦτα πιστεύεις S	*ταῦτα πιστεύεις γεγονέναι*
κρυπτόμενον ἐν οἰκίᾳ S	*κρυπτόμενον ἐν τῇ οἰκίᾳ*
c. X *ἡμιωβόλιον ἀπαιτεῖν ἐπὶ τὴν οἰκίαν* S	*ἀπαιτεῖν ἐλθὼν ἐπὶ τὴν οἰκίαν* [*ἀποβαλούσης* S]
ἐκβαλούσης	
τὸ μέσον τῆς ἡμέρας	
ὑποδουμένους	*ὑπολυομένους* S
c. XI *τὰ κάρυα ἢ* (*A καὶ*) *τὰ μύρτα ἢ τά*	*τὰ κάρυα ἢ τὰ μῆλα ἢ τά* S
σπεύδοντας δέ που ὁρῶν	*σπεύδοντας δέ που ὁρῶν περιμεῖναι κελεῦσαι* S
c. XIII *δόξει εἶναι* S	*δόξειεν ἂν εἶναι*
διείργειν	*διεγείρειν* S
βούλεσθαι S	*βουλεύεσθαι*
παρεστηκότας	*περιεστηκότας* S

Atque haec quidem gravioris momenti quae reperire potui sunt exempla, eaque breviter iam recensebo.

Statim vero quae primo capite Parisini praebent *εὑρεῖν ἐστιν οὐ χεῖρον ὄν*, ea quo tandem modo e Rhedigerani scriptura nasci potuerint, non percipio. Immo apertissime in hoc grammatici nescio cuius est coniectura, qui quamquam singula verba satis anxie retinuit non potest tamen verum vidisse iudicari. An ferendum putas *οὗ χεῖρον*, quod non potest alio modo intellegi quam hoc qua (credulitate) nihil inveniri potest peius, id quod ab eius qui haec scripsit mente alienum esse vides.

Cap. II *ἅμα* num ante *πορευόμενον* ponendum sit an post, non minus certum est quam ipsa sententia. Neque enim dum proficiscitur, secum talia loquitur adulator, sed cum aliquo una proficiscens, comiti suo illa occinit. Quod ipsum AB codd. scriptura efficitur, quacum apte conferri potest comici locus Mein. 2, 815

τὸν δὲ Μύσιον
Ἀκέστορ᾽ ἀναπέπεικεν ἀκολουθεῖν ἅμα.

Illud autem discrimen cum non perspiceret interpolator ad alia multa ipsius Theophrasti exempla locum corrigere sibi visus est.

Quanto, quod in eodem capite Parisini dant καὶ ἐπαινέσαι δὲ ἀκούοντος praestet alteri nemo non videt. Alterum aptissimum est, alterum ne ferri quidem potest sed in ἄκοντα saltem mutandum esset. Sed ne tum quidem aptum esset quod nihil omnino contra 'regis' voluntatem facit. Itaque Casaubonus ad id quod scriptum reperit ἄκοντος haec adnotavit 'ambigo scripseritne Theophrastus ἄκοντα vel ἀκούοντα.' In quo hoc tamen miror quod non ἀκούοντος potius quam ἀκούοντα proposuerit. Hoc enim ad regis stultitiam et vanitatem depingendam quam ad adulatoris nequitiam aptius est. Quod nec Monacensis epitomator intellexit quippe qui scripserit ἀκούοντα Parisinorum tamen auctoritatem probans.

Quod paullo post σκώψας τι utraque recensione propagatum est vitium correctum illud in Cratandrea a. CIƆIƆXXXIII communem utriusque fontem indicat. Sequitur in AB ψυχρῶς in R πικρῶς, hoc tam ineptum quam aptum est illud. Sive enim cum σκώψαντι coniunxeris πικρῶς sive cum ἐπιγελάσαι nihil sani expiscaberis. Risus acerbus contemptum potius vel ironiam ostenderet quam adulationem. Adulatorem ut cognoscamus facetiae, de quibus ita rideat ut emoriatur paene, non acerbae sunt dicendae sed frigidae ut apud Epolidem Mein. 2, 521

τοῦτ᾽ ἔστι σοι
τὸ σκῶμμ᾽ ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σφόδρα
ψυχρόν· γελῶσιν ὡς ὁρᾷς τὰ παιδία.

Eodem capite quod in R est ἄρχεσθαι τεκτονεῖσθαι id glossemate ortum esse videtur.

Aperto autem errore in eodem παρακαθέζεσθαι ineunte capite III pro participio mutatum est. Librarius

enim qui verborum ordinem ac nexum parum perspiceret, post *πλησίον* interpungendum putavit.

Omnino autem neque doctus admodum neque acutus fuisse videtur, quem XXVIII capp. recensionis interpolatorem agnovimus. Cuius rei luculentum exemplum habes c. IV. Vbi cum *καὶ κόψαντος τὴν θύραν ἐπακοῦσαι αὐτός* de rustici vigilantia non de rusticitate male intellexisset, ne *εἰπεῖν* quidem verbo inpediri poterat, post id ipsum quominus finitam sententiam haberet, atque pro *οὗτος φυλάττει* scriberet *οὕτως φυλάττειν*. Capite III inter alia inepta haec quoque e Parisinorum auctoritate fundit garrulus *καὶ ὅτι ἀγρὸν εἰς νέωτα γεωργήσει* e R contra *καὶ ὁ ἀγρός*. Quod quomodo ex altero illo oriri potuerit cum non videatur patere possis iam AB codices hoc loco correctos esse contendere. Sed vereor ut recte. Similem enim corruptelam c. IV habes ubi in AB *καὶ εἰ τὸ ἄροτρον* in R *καὶ ὃ ἄροτρον* invenis scriptum.

Inconsulto autem interdum nec ulla, quantum quidem videtur, causa motum, interpolatorem mutasse verba, cap. VII initium arguit, ubi pro praesenti *ἐντυγχάνοντι* aoristum posuit, cum tamen de eodem dicta sint quae post breve spatium sequntur *ὥστε μηδὲ ἀναπνεῦσαι τὸν ἐντυγχάνοντα.* Cui simillimum est, quod c. VIII non contentus mutato *τούτους* in *τοῦτο* omisit praeterea *ὡς* ante *Πολυσπέρχων*, ut prorsus inepte iam ipsa auctorum suorum verba adferret *λογοποιός* omisso tamen *ὅτι* quod haud facile omisisset Theophrastus.

Cap. XI omnes fere cum R produnt *προςελθὼν πρὸς τὰ κάρυα ἢ τὰ μῆλα ἢ τὰ ἀκρόδρυα*, cum in AB pro *ἢ τὰ μῆλα* sit *ἢ τὰ μύρτα* nisi quod in A solemni errore *καί* scriptum est pro *ἤ*. Certissimum hoc interpolationis exemplum est. Sunt enim et *μῆλα* et similes fructus communi nomine dicti *ἀκρόδρυα*, cuius rei ipsum Theophrastum testem allegare iuvat. Qui cum in libello *περὶ ὀσμῶν* dixerit haec *εἰσὶ μὲν οὖν ἔνιαι τῶν εὐόσμων καὶ ἐν ταῖς τροφαῖς*

οἷον αἱ τῶν ἀκροδρύων καὶ ἀπίων καὶ μήλων, nemo non videt generis τῶν ἀκροδρύων duas adpellari species, mala et pira. Itaque Pollux 1, 30 haec dixit ... ὅτι καὶ μῆλα θύουσι περὶ Βοιωτίαν Ἡρακλεῖ (λέγω δὲ οὐ τὰ πρόβατα τῇ ποιητικῇ φωνῇ ἀλλὰ τὰ ἀκρόδρυα). Erat igitur verbo ἀκρόδρυα paullo minus usitato scholion ascriptum μῆλα, id quod quam facile pro varia verbi μύρτα scriptura haberi potuerit, elucet.

Non minus certo de loco c. XIII iudicari potest, qui in RS ita legitur καὶ διεγείρειν τοὺς μαχομένους καὶ οὓς οὐ γιγνώσκει, quae Casauboni adsensum quomodo ferre potuerint, non intellego. Quippe cum in definitione capiti praefixa μετ' εὐνοίας dicatur esse περιεργία, id quod in omnes quadrat notas, scire velim, quaenam pugnantes instigare ignotos benevolentia sit? Immo qui dirimit pugnantes, quos ne novit quidem is recte περίεργος dicitur.

Quibus adiungere liceat locum capitis XVII, ubi cum Parisinis quidem conparare non possumus, attamen PVaticano duce XXVIII capp. recensionis interpolatorem deprehendimus. In illo haec sunt καὶ εὑρὼν ἐν τῇ ὁδῷ βαλλάντιον εἰπεῖν Ἀλλ' οὐ θησαυρὸν εὕρηκα οὐδέποτε. Discrimen inter βαλλάντιον et θησαυρόν qui non cerneret ei quidem non ferenda illa videbantur, itaque iure suo mutavit καὶ εὑρόντι βαλλάντιον. Id quod nos iam reicimus quippe qui eam queruli naturam esse sciamus ut numquam contentus sit eis quae vel ab hominibus vel a dis acceperit, a quo quae in RS extat narratio alienam esse vides.

Ex his quae certa sunt de eis erit iudicandum, quae per se spectata ambigua videri possint, velut quod c. VIII post σὺ δὲ ταῦτα πιστεύεις uno R additur γεγονέναι. Neque tamen ille πιστεύειν verbi usus exemplo caret; cf. Aristot. Eth. Nic. V, 6 καὶ τὰ μὲν οὐ πιστεύουσιν οἱ νέοι ἀλλὰ λέγουσιν.

Manifestiora interpolatoris vestigia sunt in cap. X verbis *οἷος ἐν τῷ μηνὶ ἡμιωβόλιον ἀπαιτεῖν ἐλθὼν ἐπὶ τὴν οἰκίαν.* Vbi *ἐλθών* solus R habet. Quo tantum abest ut ad veritatem nos ducamur, licet Casaubonus hoc putaverit, ut quam maxime sententia turbetur. Haec enim nota cum ipsam definitionem excipiat, qua *φειδωλία ὑπὲρ τὸν καιρόν* h. e. parsimonia non avaritia describitur *μικρολογία*, neque praeterea ad cuius ille domum adeat divinare possimus, atque omnino inepta illa sit sententia, non dubito quin *ἀπαιτεῖν* vetere menda laboret, *ἐλθών* autem insertum sit, ut esset *ἐπὶ τὴν οἰκίαν* unde penderet. Quamobrem equidem pro *ἀπαιτεῖν* scribendum esse *δαπανᾷν* coniecerim.

Valde igitur sublestam esse non Rhedigerani tantum sed totius XXVIII capp. recensionis fidem, qualem quidem nunc agnoscere possimus, adparet. Neque tamen cum unum illius et Parisinorum archetypum fuerit, eiusmodi desunt loci quibus genuina servata sit scriptura Rhedigerano, cum perierit in Parisinis *ἀναισθησίᾳ* potius librariorum quam *περιεργίᾳ*. Ita cap. I miro errore pro *τοὺς ἔχεις* in AB extat *οὓς ἔχεις*. Octavo fere medio R codice proxime ad veram scripturam adducimur. In hoc enim legis *καὶ ταῦθ' ἅμα διεξιών*, pro quo cum in A sit *καὶ ταῦτα πάντα διεξιών*, equidem *καὶ ταῦτα ἅμα διεξιών* verum esse persuasum mihi habeo.

Quo loco ad novam quaestionem deducimur, de discrimine inter utrumque quod intercedit Parisinum instituendam. Atque maxima quidem discrepantiae pars nil parat difficultatis, quippe quae scribendi erroribus constet ab A codicis librario commissis velut c. II *ὡς μὴ οὐ* pro *ὡς δὴ οὐ*, c. III *ὧν εἶχεν ἐπὶ τὰ δεῖπνον* pro *τῷ δείπνῳ*, c. VI *εἰς λοιδορίαν* pro *πρὸς λοιδορίαν*, ibidem *ὑμᾶς ὕπνος* pro *ἡμᾶς ὕπνος*, c. VII *ἀποκριναμένῳ* pro *ἀποκρινομένῳ* alia, e quibus paullo neglegentiorem librarium fuisse intellegis.

Eiusdem originis aliud quoque vitiorum genus esse credo, verba dico transposita

	A	BR
c. III	μήτε σπουδὴν μήτε σχολήν	μήτε σχολὴν μήτε σπουδήν
c. VI	μηδεμίαν ἐργασίαν αἰσχράν	μηδεμίαν αἰσχρὰν ἐργασίαν
c. IX	αἰσχροῦ κέρδους εἵνεκα	αἰσχροῦ ἕνεκα κέρδους
	δοῦναι ἀπὸ τῆς τραπέζης ἄρτον καὶ κρέας ἄρας	δοῦναι ἀπὸ τῆς τραπέζης ἄρας κρέας καὶ ἄρτον
c. XI	ἵνα τοὺς καθημένους μεταστραφῆναι ποιήσῃ	ἵνα τοὺς καθημένους ποιήσῃ μεταστραφῆναι

De quibus quid sit iudicandum ipsa verba docent. In primo quidem exemplo nolo, quid praestet, diiudicare, cum utrumque par sit bonitate. In altero autem tam verbi *αἰσχράν* vis quam verborum sonus ut BR codicum scripturam praeferam me movent. Item tertio loco ut cum BR inter *αἰσχροῦ* et *κέρδους* interponamus *ἕνεκα* usus suadet. Quarto loco *ἄρας* in A tam male positum est, ut multo melius abesset. Quinto denique sensum secutus BR codd. scriptum praefero. In nullo autem eorum erroris non patet causa. Eiusdem levitatis est quod nec a mutando librarius abstinuit, quippe qui cap. IX pro *τίμιε* corrigendum putaret *τιμιώτατε* nisi forte ex *τιμιε* (*τίβιε*) et superscripto *ὄνομα*, quod ita fere exarari solitum est ut similes litterarum ductus sint *ωτατε* litteris ortus est ille superlativus; *ὄνομα* autem scholion fuisse ascriptum inde habet verisimilitatem, quod ut pluribus locis omnes fere codices scholia habent antiquiore tempore ascripta, ita hic Monacensis epitomae in margine adpicta sunt verba *Τιβίον δουλικὸν ὄνομα ὡς καὶ Δρόμων Γέτα καὶ τὰ τοιαῦτα.* Huc porro referendum quod c. VIII pro *προςδεδράμηκε λέγων* A praebet *προςδεδραμηκέναι λέγων.*

Qua data occasione pauca de infinitivorum in his characteribus usu monere lubet quoniam Duebnerus quoque parum caute in his egisse videtur. Est enim propterea haud dubie infinitivis scriptor usus ut res vel notae non certo alicui tempori adsignarentur, sed universe magis et indefinite dictae viderentur. Extant autem plura finiti verbi exempla vel omnium vel optimorum codicum fide firmata, quam quae ad ceterorum normam corrigi possint, praesertim in primo capite et octavo, neque activi tantum formae, quae quoniam vix ab infinitivis dignosci possunt, magis dubia videantur, sed passivi quoque vel medii ut c. VIII *διηγεῖται* ubi ne aptus quidem erat infinitivus. Cui simile aliud eiusdem cap. est *κἂν εἴπῃ τις αὐτῷ ... φήσει*, quod cum Duebnerus perspexerit non intellego cur idem c. I bis aoristi infinitivum pro futuri indicativo contra omnem codicum auctoritatem posuerit. Ibi enim eodem modo in verbis *καὶ πωλῶν φήσει μὴ πωλεῖν* et *καὶ ἰδὼν φήσει μὴ ἑωρακέναι* subintellegenda sunt *κἂν εἴπῃ τις αὐτῷ πωλεῖς*; vel *ἑώρακας*; cap. VIII pro *λέγει δέ* non posse infinitivum substitui nemo non sentit. Nostro autem loco *προςδεδράμηκε* indicativus unus est aptus vel propter ipsam perfecti notionem.

Restant autem difficiliores loci octo, quibus A solus genuinam scripturam servavit, aut ita certe a B et R discrepat, ut de librarii sive erroribus sive correctionibus vulgaribus cogitari nequeat. Quorum faciliores ad expediendum sunt ei, ubi ab A dissentiant BR non minus tamen inter se ipsi discrepent. A quibus incipiamus

	A	B	R
c. IV	*καὶ εἰ τὸ ἄροτρον*	*καὶ τὸ ἄροτρον*	*καὶ ὃ ἄροτρον*
c. VII	*εἶπας εὐδοκίμησαν*	*εἶπεν εὐδοκίμησαν*	*εἶπεν εὐδοκιμησεν*
c. IX	*τοὺς ὡς εἰς τήν*	*τοὺς εἰς τήν*	*τοὺς υἱεῖς τήν*

A	B	R
c. XIII παρεστηκό-τας	('conpendium turbatum' Duebn.)	περιεστηκότας

De primo quod sentiam dixi. Secundo equidem εἴπας εὐδοκίμησεν scribendum censeo vel ηὐδοκίμησεν. Quinto cum A παρεστηκότας scribendum quia iuraturo qui adsunt non apte dicuntur circumstare sed astare. Quarto denique quod in A est ὡς nihil est nisi εἰς sive altera verbi υἱεῖς pars quod totum periit in altero Parisino servatum in Rhedigerano, in quo neque εἰς praepositio evanuit sed de sede sua mota καὶ particulae locum occupavit ante τὸν παιδαγωγόν.

Quas turbas si animo recolas, quid veri similius, quid adeo manifestius est, quam in communi utriusque recensionis archetypo quaedam fuisse turbata, et verba partim corrupta, partim alia seu corrigendi causa sive explicandi ascripta fuisse unde et in eum codicem, e quo Parisini descripti sunt, duplices manarint scripturae. Atque in ipsis Parisinis huius rei vestigia habes c. IV δεινός supra scripto ως c. VIII in B margine ascriptum ἐπεντείνει cum in ipsa oratione sit ἐπεντείνειν cum relicuis praeter A qui solum habet ἐπεντείνει.

Hinc relicuae quoque discrepantiae explicandae sunt velut quod c. X solus A habet τῶν χάμαι κειμένων cum in BR scriptum extet τῶν χάμαι πεπτωκότων, quorum alterum scholion esse adparet. Atque ut libere fatear, mihi quidem πεπτωκότων ad κειμένων explicandum ascriptum esse veri longe similius videtur quam πεπτωκότων per κειμένων explicatum esse. Consenserunt igitur Rhedigerani et Parisini B codicum librarii ita ut uterque quod sive in margine seu intra versus scriptum esset verum haberet.

Ne vero BR codd. consensum temerarius sprevisse videar iam relicua erunt persequenda. Inpudentis descriptio c. IX cum ita incipiat ὁ δὲ ἀναίσχυντος τοιοῦτος οἷος πρῶτον μὲν ὃν ἀποστερεῖ πρὸς τοῦτον ἀπελθὼν δανείζεται· εἶτα θύσας τοῖς θεοῖς, magnopere miror quod nemo hac

sententiarum conectendarum ratione offendit, quae prorsus inepta est cuiusque quod unum simile esse videtur cap. III toto caelo distat. Iam vero cum in A scriptum sit ἀποστερεῖται sub hoc ipso εἶτα latere puto, quod cum aut supra aut ascriptum esset primum cum ἀποστερεῖ male coaluit deinde in perversam sedem inlatum καί particulam ante θύσας expulisse videtur. Totum igitur locum sic corrigo οἷος πρῶτον μὲν ὃν ἀποστερεῖ, εἶτα πρὸς τοῦτον ἀπελθὼν δανείζεται. καὶ θύσας q. s. Eodem modo τήν articulum solo A cod. recte servatum puto in hisce c. VI verbis τοῖς μὲν τὴν ἀρχὴν τοῖς δὲ συλλαβὴν — λέγει. Apertissime autem e gemina scriptura orta est discrepantia codicum c. II ubi BR habent πρὸς τὸ οὖς, προςπίπτων ψιθυρίζειν, A vero — διαψιθυρίζειν. Invenisse enim librarium in codice δια superscriptum eo perspicitur, quod male intellecta illa nota διαπίπτων primum scribendum putavit. Post tamen verum vidit et simul correcto προςπίπτων scripsit διαψιθυρίζειν. Ita enim in eo codice haec scripta sunt διαπίπτων (superscr. προς) διαψιθυρίζειν. Utrum igitur ab interpolatore an ab eo, qui quod perperam omisisset, ipse corrigeret, δια additum sit, non dubitabit is, qui quanto elegantius quantoque subtilius conpositum sit intellexerit. Similiter ut c. III cum uno A πλεῖον ante ὕδωρ interponam, partim ipsa additamenti natura partim qui sequitur conparativus me movent.

Sed ne nimis ambiguum correcturarum pretium videatur, colligam hoc loco et commentabor quaecunque in hoc libello geminarum vestigia scripturarum extent non interpolationis studio procreatarum, sed adcuratione potius, scilicet ut, quae omisisset manus male festinans, eadem corrigeret. Sunt enim haud pauca huiusmodi correcturae, a quibus omnis interpolationis suspitio procul est amovenda. Ita cum c. XIV in AR scriptum sit ἐξενεχθῆναι in uno B vero ἐξενηνέχθαι fluxit inde haud dubie discrepantia illa, quod in archetypo scriptum erat ἐξενεχθαι (superscr. ην)

repetitum id in eo e quo Parisini deducti sunt. Cap. XXIV in fine olim omissum fuisse videtur *μή* et in margine ascriptum, quo factum est ut postea in R non semel sed bis adeo scriberetur *καὶ μὴ ἐπιστέλλων μή*. Hinc cap. II quod in omnibus codd. monstrum extat verbi *ἐπικρηπῖδας* originem duxit. Needhamus quidem, qui pro *ἐπι* coniecit *ἔτι* vertens illud 'crepidas etiam ementi si comes adfuerit,' quomodo illud intellexerit non video. Immo transponendum *ἔτι* — *τὸν πόδα φῆσαι εἶναι ἔτι εὐρυθμότερον τοῦ ὑποδήματος*. Laudat enim adulator non hominem tantum sed etiam res illius. Ita et c. X in hisce *καὶ οἰκέτου χύτραν εἶναι ἢ λοπάδα κατάξαντος* servatum in AB *εἶναι* corrigendum erit sed non in *τινα* ut voluit Needhamus. Possis quidem ita ortum esse suspicari ut cum paullo ante post *πάντα φάσκων* quod sequitur *εἶναι* omissum olim esset, in margine deinde ascriptum atque ut saepius factum videmus non uno sed duobus postea locis insereretur. Magis tamen alia via placet ut sub *εἶναι* aliud verbum vel fragmentum verbi latere putemus. Videtur autem a *ΧΥΤΡΑΝΕΙΝΑΙ* non adeo remotum esse id quod sententiae satis aptum est *ΧΥΤΡΑΝΠΑΛΑΙΑΝ* repetitis tribus fere litterulis. In fine c. V cum in Parisinis scriptum sit *καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν ὕστερον ἔπεισιν ἐπὶ τῶν θεωμένων πρὸς τὸν ἕτερον*, in R autem et S pro *ἔπεισιν* scriptum inveniatur *εἰπεῖν* utramque scripturam coniungendam esse bene vidit Needhamus qui ita locum scripsit *ὕστερον ἔπεισιν ἐπὶ τῷ εἰπεῖν τινα τῶν θεωμένων πρὸς τὸν ἕτερον*. Quem quamquam sententiam adsecutum esse concedo recteque lacunam statuisse, nego tamen hanc recte ab illo expletam, primum quod minime perspicitur quomodo illa intercidere potuerint, deinde quod *τινα πρὸς τὸν ἕτερον* ut unus alterve cum vicino suo talia colloquatur, non prorsus aptum videtur sententiae. Hoc potius expectamus ut unusquisque vicino suo illa *τούτου ἐστὶν ἡ παλαίστρα* insusurret, quod nos dicimus 'einer zum anderen',

Graeci ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον. Ita igitur scribendum conicio ὕστερον ἔπεισιν ἐπὶ τῷ ἕτερον εἰπεῖν τῶν θεωμένων. Atque ita iam qui post ὕστερον ἔπεισιν intercidere potuerint ἕτερον εἰπεῖν manifestum est. Correxerat quidem peccatum suum librarius sed ex parte tantum, videtur enim solum εἰπεῖν supra ascripsisse, quo factum est ut pro varia scriptura verbi ἔπεισιν haberetur ab interpolatore XXVIII capp. recensionis auctore.

Neque vero singula tantum omissa, et postea in margine ascripta sunt, unde in perversam orationis sedem saepe migrarunt, sed idem totis versibus accidisse tribus probari videtur exemplis ubi transposita esse verba diu est animadversum. C. I verba καὶ μηδὲν ὧν πράττει ὁμολογῆσαι ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι pro quo post Bencelium etiam Cobetus novae lect. p. 405 βουλεύσεσθαι male coniecit. Alterum exemplum habes c. III verba κἂν ὑπομένῃ τις αὐτὸν μὴ ἀφίστασθαι tertium c. IV ubi verba καὶ τῆς αὐτῆς ὁδοῦ παριὼν κομίσασθαι παρ' Ἀρχίου τοὺς ταρίχους male dirempta sunt ab illis quae praecedunt καὶ εἰπεῖν εὐθὺς ὅτι βούλεται καταβὰς ἀποκείρασθαι, quamquam et alteram viam patere profitendum est. Possint enim locum suum tenere modo αὐτῆς verbi priores duas litteras ex αι male iteratas statueris, et verba καὶ τῆς ὁδοῦ παριὼν explicaveris 'und wenn er grade des Weges kommt,' sed priorem rationem meliorem esse credo.

Quae ex c. I citavi, cum in Monacensi epitoma iam sint de sede sua mota duplices illas scripturas vulgata recensione ex parte saltem antiquiores esse probabilis videtur coniectura, quam certam PVaticanus liber reddit, e quo exempla quaedam adferri possunt. Primum olim extare putavi initio cap. XIX, de quo nunc iam quid sentiam adnotatio te doceat. Cap. XV ineptum est καὶ ἀναμεῖναι οὐκ ἂν ὑπομεῖναι πολὺν χρόνον οὐδένα atque non tolerabile genus dicendi, sed in propinquo est ἀναμεῖναι ex ἂν ὑπομεῖναι ortum credere. Quod c. XIX pro ἀναπόνιπτος

nunc quidem exaratum est *ἀναπίπτοντος* id simillimam illi *ἐξενηνέχθαι* c. XIV corruptelae originem habuisse videtur. Cap. XXI nemo puto in hisce *αὐτῷ μνῆμα ποιήσας καὶ στηλίδιον ποιῆσαι ἐπιγράψαι* quin unum satis sit idque post *μνῆμα* ponendum dubitabit. Idem de eis statuendum quibus eodem cap. homo vanus sacra deorum matri facta esse populo renunciat *Ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ἐθύομεν οἱ πρυτάνεις τὰ ἱερὰ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν· τὰ γὰρ ἄξια καὶ τὰ ἱερὰ* (haec desunt in vulgata) *καλά*. Ibi primum pro *τὰ ἱερά* scriptum fuit *τὰ γάρ*, atque rectum cum ascriptum esset, hinc in duos locos irrepsit.

Cap. XXVI cum in PVaticano et R scriptum sit *ὅταν παρακάθηταί τις* in Palatino Casauboni *ὅταν τις παρακάθηται* potes hoc exemplo uti, neque tamen Palatini librarium errasse negaverim. Paullo certior res est cap. XXVII ubi in verbis *ἐπὶ τὸ δόρυ* simili casu male positus est articulus, cum rectum sit *τὸ ἐπὶ δόρυ*.

Neque enim talis codicum dissensus quamquam diversarum sunt familiarum, nihili aestimandus est. Inde supra de verbis *ἐν ταῖς ὁδοῖς* c. XXIV suspitionem non moveri sed augeri dixi. Eisdem verbis idem accidit c. XXX ut diversis in locis ponerentur diversis codicibus. Vulgo enim ante *ὑπὸ τῶν οἰκετῶν* posita erant, PVaticano post illa locus eis assignatur. Qua re hic suspitio nulla oritur, quod sunt ad avaritiam turpem depingendam non nullius momenti; reperissent enim domi nummulos alia res esset. Ego vero PVaticanum sequor.

Bis idem verbum positum atque semel quidem ita ut a sententia sit alienissimum habes c. XXVI in loco non tam difficili, quam putarunt editores. Modo alterum *αὐτούς* quod est post *καὶ ὑπὸ τούτων* expungatur. Alterum *δεῖ αὐτοὺς ἡμᾶς* etsi recte suum locum occupasse non certum sit, nescio tamen ubi melius ponatur. Hisce iam quam verbi *πεζοῦ* c. XXV supra conieci transpositionem nonnihil probabiliorem reddi credo, non minus quam quae

eodem loco de προςκαλεῖν πρὸς αὐτὸν mutandis eis in παρακαλεῖν αὐτοῦ disputavi.

Cap. XXII recte scripserunt editores τὰ τοῦ κυβερνήτου στρώματα ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὑποστορέννυσθαι ad fidem PVaticani cum in vulgata pro ἐπί scriptum sit ὑπό. Cuius in PVaticano quoque scripturae apertissima extant vestigia. Quid enim quod ibi scriptum est στρῶμα ταὐτὸν ἐπί aliud esse putas nisi στρώματα ὑπὸ ἐπί? Potest autem dubitari calami lapsu pro ἐπί cum ὑπό librarius scripsisset, num idem rectum supra ascripserit, an ἐπί potius scriptum fuerit, et ὑπό postea ascriptum ab eo qui ὑποστορέννυσθαι verbo deceptus esset. Neutrum non veri simile est. Alterum si verum esset commode hoc loco ad interpolationes deferremur de quibus quae dicenda mihi sunt, propter rei similitudinem hic addam. Pauca quidem exempla supra adtigimus ubi in orationem male inlata deprehenderemus quae explicandi gratia olim ascripta fuissent velut πεπτωκότων c. X et μῆλα c. XI, ac fortasse ἐν ταῖς ὁδοῖς c. XXIV. Eius igitur rei quae praeterea reperire potui exempla adferam.

Aperta res c. XIX ubi τῆς μητρὸς εἰς ἐξ ὀρνιθοσκόπου ἐξελθούσης dat PVaticanus, cum vulgo recte absit ἐξ ascriptum id ab eo, qui non intellegeret ἐξελθεῖν εἰς.

Cap. XI neminem contradicturum credo Cobeto, qui var. lectt. p. 56 καὶ λοιδορηθῆναι dicit expungendum esse, qui miror tamen, quod non eo coniecturam suam vel suspitionem stabilivit quod ne extat quidem in codicibus καί particula. Quod autem eodem capite ante διαλεγομένων insertum est λοιδορουμένων id eidem interpolatori tribuendum. Eodem enim modo et constructioni et sententiae absonum ad proxima verba explicanda videtur ascriptum.

Cap. XX verba μεστὴ γάρ ἐστι quae ne coeunt quidem cum proximis iure tuo eliminaveris; nec facile praeter Duebnerum quis Fossii II p. 34 coniecturam μεστὴν γὰρ ἀεί scribentis probaverit. Haec ut constructione alia col-

locatione proditur interpolatio, verba *τοῦ ῥήτορος* c. VII dico, a Fischero aliis recte eiecta, cum neque cum *Ἀριστοφῶντος* nomine coniungi possint, nec ut voluit Corsinius fasti Att. l. IV, p. 54, licet Clintonus eum adprobaverit, de Aeschinis Demosthenisque certamine intellegi queant.

Cap. XVI in verbis *καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐὰν παρείαν Σαβάζιον καλεῖν, ἐὰν δὲ ἱερὸν ἐνταῦθα ἡρῷον εὐθὺς ἱδρύσασθαι* quot sint difficultates, copiose Fossius I, p. 37 sqq. exposuit. Gravissimum autem hoc est de quo Schneidero iam scrupuli subnascebantur, quod quo iure *παρείας ὄφις* et *ἱερός* discernantur, cum illum quoque sacrum fuisse Baccho et Theophrastus hoc loco ostendat, et Photius ed Porson p. 364 *Ὄφεις παρείας ..... δοκοῦσι δὲ ἤπιοι εἶναι καὶ εἶναι τῶν μυστηρίων ἱεροί.* Fossius quidem Schneiderum inpugnat eis nixus, quae in (Aristotelis) libro mirab. auscult. 151 de sacro serpente narrantur, in Thessalia eum versari. Cui non multum tribuerim. Atque cum alio loco Photius p. 393 de parea serpente prorsus eadem tradat, quae de sacra Aristoteles l. c. scilicet non hominibus tam illum perniciosum esse atque infestum quam aliis serpentibus, non dubito quin nostro loco grammaticus *παρείαν* illum per *ἱερόν* explicaverit indeque postea orationi corruptela sit inlata. Quem locum ego ita restituo *καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ παρείαν, Σαβάζιον καλῶν ἐνταῦθα ἡρῷον* (ita Duebnerus) *εὐθὺς ἱδρύσασθαι.*

Quae omnia si recte a me disputata sunt erat iam plenae recensionis, quae XXX capita tenebat, codex antiquissimo tempore neglegenter scriptus ita tamen ut peccata intra versus vel in margine emendarentur, unde p a u l l a t i m in ipsam scriptoris orationem emendationes migrarent, perperam saepe et ab aliis alio loco insertae. Vna vero quae non tam emendandi gratia quam explicandi scriptoris ascripta essent a librariis male sedulis pro Theophrasteis habita sunt, et inserta orationis conexui. Secernenda ta-

men ab hisce ea, quae in una interpolata XXVIII capp. recensione deprehenduntur interpolationes, quippe quae serioris temporis esse videantur velut ἄρχεσθαι τεκτονεῖσθαι c. II.

Itaque cum antiquissimo tempore libellum nostrum multis et diversis corruptelis adfectum esse viderent, cum alia corrupta, alia omissa, alia ascripta, alia interpolata, alia denique transposita esse viderent nec singula tantum verba, sed et versus totos et adeo magnam capitis XXX partem de sede sua longissime remotam, nihil non licere sibi critici putarunt. Mutarunt, expleverunt, transposuerunt verba, enunciata, dissecarunt capita, nova finxerunt, quibus e libris Aristoteleis sive e lexicis nomina deprompserunt. Quippe qui nulla omnino lege artes suas restringi putarent, eis nihil non probabile visum, nec qui fines nullos agnoscerent quod ultra omnes fines evagati sunt mirum est. Quid igitur restituendum videtur? Verba Theophrasti. Bene, sed eademne ratione utendum in prioribus XV capitibus qua in posterioribus? Plerique ita censuisse videntur. Attamen prioribus XV nihil adsequi possumus nisi ea verba quae vulgatae auctor, quem excerpsisse pleniorem libellum cognovimus, scripsit. Is igitur quae omisit qui velit restituere nulla agit ratione. Possumus quidem ubi omisisse illum verba suspicamur, qualia illa fuerint divinare sed non ut in orationem ea inferamus a nobismet ipsis ficta, sed ut eorum auxilio ea, quae retinuit ille intellegamus. Contra quae postea librariorum incuria perierunt ea coniectando restituere licet, quamobrem ut externa specie se commendent talia conamina maxime necessarium.

In altera characterum parte, posteriorem dico, pleniorem recensionem restituamus necesse est, e qua PVaticanus codex deductus est, quaeque XXX olim capita tenebat indicibus illis nominata. Quae cum ita sint, quantae sit temeritatis praeter illa triginta nova capita formare e

dissectis veterum membris adparet. Meliore iure utebantur qui, quae ab uno capite divellerent, in aliud intrudebant. Nam hoc certe non contra omnem rationem pugnat. At summa in hac re opus esse cautione nemo nescit. Parum autem omnes fere cavisse omnibus exemplis demonstrari potest. De quinti capitis parte infra disputabitur. Hic alia tango.

Putarunt homines docti cap. XXX parte transposita conamina sua probari. At ne excusantur quidem eo. Erat enim illius transpositionis aliqua saltem origo atque via monstranda, ut qui fieri potuisse percipere saltem possemus. Deinde ipsa vitia non minus quam notationes adcuratissime erant pernoscendae atque intellegendae, antequam recte necne posita essent verba diiudicarent. Neutrum fecerunt, itaque inter omnia unum tantum exemplum est, de quo rectius statuisse videntur cap. XIX finem dico. Ea Pavus ab hoc loco aliena censuit, Klotzius capitis XIV esse voluit, cui tamen minime apta sunt illa *καὶ ἐπιτιμᾶν τῇ αὐλητρίδι* q. s. Plerique ad c. XI retulerunt. Vnde qui fieri potuerit ut in cap. XIX pervenerint, nemo declárat. Quae cap. XI praeposita est vitii descriptio in ea nihil reprehendas, omnesque, quae sequntur notationes cum eo consentiunt. *Βδελυρός* igitur is est, qui aliis hominibus molestias parat et nullam aliam ob causam nisi ut ipse rideat homines inludit, id quod ubicunque more suo Theophrastus indicavit. Ita non solum narravit ructare eum reversum sed addit *ἵνα τοὺς καθημένους μεταστραφῆναι ποιήσῃ*, ne invito accidisse putemus. Quod in aliis notationibus per se patet velut in illo *καὶ ἡττημένῳ δὲ* et q. s. Tale in illis quae c. XIX male annexa sunt frustra quaeres. Quod execratur dum mater ad augurem interrogandum se parat id matris inludendae gratia facere non significatur, nec talem *παιδιὰν ἐπονείδιστον* potius proximis depingi quam stultitiam et ineptiam credo, id quod vel stolido risu et verbo *ἐκβαλεῖν* quod bene restitutum est, confirmatur. Idem de relicuis valet atque in postremis hoc maxime ma-

nifestum redditur verbis *ἀποπτύσαι βουλόμενος*, quae si ad *βδελυρόν* spectare voluisset, non ita Theophrastus dixisset. Deinde qui XI capiti haec inferunt non pulchre bis eadem fere eodem capite dicentem Theophrastum reddunt. An tu multum interesse putas utrum in theatro actoribus an in convivio tibicinae adplaudat relicuis tacentibus, vel explodat quos relicui libenter audiant? Quod *βδελυρός* ut relicuos offendat ob id ipsum facit, hic autem stultitia magis pravoque iudicio. Offendit quidem relicuos sed invitus potius quam consulto atque omnino is est in quem cap. XX quadret definitio *ἔντευξις λύπης παρασκευαστικὴ ἄνευ βλάβης*. A vigesimo autem capite in proximum errore quodam deferri potuisse illa verba multo facilior coniectura est. Vigesimi denique capitis nunc quidem ea condicio est, ut gravissimas turbas ei evenisse in aperto sit. Quae quidem transpositis illis verbis non sanantur, at confirmant tamen coniecturam meam.

Certum verbis locum assignare nolo, videntur autem optime ante verba *καὶ ὅτι ψυχρὸν ὕδωρ* inseri, quae ad coenam vocatum hominem ineptum loqui recte Fossius intellexit, qui tamen ut orationem redintegrare conatus est assensum ferre nequit. Satisfaciunt autem illa quae XIX cap. nunc finem faciunt ad narrationem supplendam. Videmus enim illum libantes turbantem, tibicinam conviciantem, quae maioris etiam incommoditatis (*ἀηδίας*) sunt siquidem non suae sed alienae domi morantem fingamus, ut iam unum tantum *εἰπεῖν* verbum desit; neque tamen vel hoc ego addere audeo. Lubet turbas intactas relinquere, pronunciare tantum coniecturam volui.

Quibus iam absolutis ad eos codices revertendum est, quos e Parisino altero (B) et XXVIII capp. recensione interpolata conflatos esse dixi ita, ut nulla eis fides habenda sit. Duas autem codicum classes esse significavi. Alteri XV, XXIII alteri capita tenent; illi ex B et XXVIII capp. codice

interpolato contaminati, horum prior pars e contaminatorum illorum uno, altera (cap. XVI usque ad XXIII) e codice XXVIII capp. deducta est, sed ita ut quaedam ex arbitrio suo librarius mutaret consulto partim ut videtur, partim neglegentia. Talia sunt c. III ἀδόλεσχος pro ἀδολέσχης, c. IV παρὰ τούτου pro παρά του, c. I δόξειεν ἂν ὡς τύπῳ περιλαβεῖν εἶναι, quae et Monacenci epitomatori usitatior loquendi formula visa est, c. VI στρατηγῶν pro στρατηγεῖν et ἔκλυτον pro εὔλυτον leviora fere omnia. Qualia facili opera in unoqnoque codice reperias interdum pluribus communia, unde tamen ne de singulorum codicum cognatione festinantius quid concludas, maximopere cavendum est, cum quod maximam partem vulgaria illa vitia sunt tum quod veri simillimum est eos, qui saeculis XIV et XV libelli nostri codices scribendo multiplicarunt non ex uno saepe codice descripsisse.

Quod de Cantabrigiensi codice (T) plus semel laudato suspicor, qui cum in apertissimis vitiis cum uno Monacensi (M) consentiat ita ut vix possit non esse descriptus ex illo, habet tamen quaedam ab illo omissa velut c. X μήτε ὀρίγανον, c. VIII articulum ante ψευδολογίαις.

Idem de Barocciano valet, quem ex Parisino altero descriptum esse innumeri loci arguunt. Est tamen ab illo ubi dissentiat faciatque cum XXVIII capp. recensione nec non cum contaminatis, velut c. II καὶ ἐπαινέσαι δὲ ἄκοντος, ibidem παρακείμενος cum uno Palatino Neveleti, cuius, quas in Morellianae editionis margine enotatas invenit Duebnerus scripturas atque in suae editionis praefatione publici iuris fecit, eae praeter ὦ Περικλεῖς in prooemio et παρακείμενος (at R παρακειμένων e quo nominativus natus est) c. II, et omisssum ἐστί post χαλεπόν c. VII, et c. IX τίβιε pro τίμιε et c. X σκαλίσματα, et c. XX denique ὑποχρωρήμασιν, consentiunt cum Rhedigerano codice ut ex hoc illum ab interpolatore descriptum conicias. Quem praeter Rhedigeranum alio quoque libro usum esse

quibusdam indiciis patefit primum illo *τίβιε* deinde quod c. XIII miro modo post *πορεύεται* addit *καταλιπεῖν*, id quod non intellegis nisi Monacensis epitomae auxilio, in qua locum illum pleniorem extare supra commemoravimus. Cuius ergo aliquam saltem etsi non claram Palatini librarius notitiam habuit. Nihil tamen de ea re suspicari iuvat.

Neque omnino operae pretium est singulorum vulgatae codicum cognationes et adfinitates adcuratius investigare, modo tale fere eorum stemma ex eis quae supra disputavi, tibi persuadeas

```
                    α (XXVIII capp.)
        β (XV)                    γ (XXVIII)
      A      B                        |
                                      δ
              ε                                  τ
        C D E     G   π                    |    |     |
                                     ?     R  Brb. Pal. (Cas.)
ε                       M
        m (Monac. 490)                 Pal. (Neveleti)
Barocc.
                     g      T
```

Monacensem n. 490 e Gallico Needhami quinto (E) deductum esse non pro certo adfirmaverim, quoniam et de Gallico multa Needhamum tacuisse credo, et Monacensis summa cum neglegentia scriptus est. Guelferbytanum alterum (g) quod e Guelf. primo (G) et Monacensi n. 317 conflatum esse significavi, id ita volo intellegi, ut priora XV capita e Guelferbytano, relicua octo e Monacensi manaverint. Quod de Guelferbytani aetate Fischerus, de Monacensis Astius tradidit sciens neglexi.

Unum restat idque gravioris momenti. Extant enim in contaminatis codicibus quaedam scripturae, quas nec in Bδ (R) invenias, nec tamen casu ortas esse tibi persuadeas.

Quas adcuratius examinemus necesse est. Graviores quidem haece sunt

	ABR (δ)	S
c. I	ἀκούσας τι μὴ προςποιεῖσθαι	ἀκούσας τι δόξει μὴ
c. IV	ἐπ' ἄλλῳ μὲν μηδενὶ μήτε ἔκπλήττεσθαι	ἐπ' ἄλλῳ μὲν μηδενὶ θαυμάζειν μήτε
c. VII	ἀρχάς	ἀφορμάς
	ἀπογυμνώσῃ	ἀποκναίσῃ
	τὴν Λακεδαιμονίοις ὑπό	τὴν Λακεδαιμονίων ἐπί
c. VIII	πῶς οἴεσθαι	πῶς οἴεσθε
c. IX	εἰς τὸν ζωμὸν ἐμβαλεῖν	εἰς τὸν ζυγὸν ἐμβάλλειν
c. XIII	καὶ οὓς οὐ γιγνώσκει	καὶ ἧς οὐ γιγγνώσκει

Cap. I quod in contaminatis adparuit *δόξει* apertae est interpolationis. Casaubonus quidem, cui bonos illos codices non praesto fuisse recordari debes, ita illud defendere studuit 'hoc est videri solet. Est autem pro *μὴ δόξει προςπ.* ut apud Plutarchum in re fere eadem *οὐ δοκῶν ἀκούειν*'. Cuius usus alia praeterea exempla citavit, quae a *δόξει μὴ προςποιεῖσθαι* tam sunt diversa, quam esset *οὐ δόξει προςποιεῖσθαι.* Illud autem nihil est nisi hoc 'et si quid audierit videbitur non simulare', id quod nemo intellegit. Contra *ἀκούσας τι μὴ προςποιεῖσθαι* est 'et si quid audierit non audisse simulabit' quod unum aptum est sententiae; *δόξει* autem ab eo ascriptum videtur qui explanare vellet *προςποιεῖσθαι.*

Cap. IV in verbis *ἐπ' ἄλλῳ μὲν μηδενὶ μήτε ἐκπλήττεσθαι* unum deesse membrum non adeo difficile erat ad perspiciendum. Atque *θαυμάζειν* verbum scriptum in eis libris quos pendere dixi ex eis qui illo carent, non ineptum esse concedo. Nihilominus manifestam interpolationem deprehendas. Erat enim non *θαυμάζειν* modo sed *μήτε θαυμάζειν* haud dubie scriptum, quod cum verborum concinnitate, tum erroris confirmatur origine.

E cap. VII quas enotavi discrepantias eae tales aperte sunt quales non nisi a correctore originem duxerunt. Vt autem de *ἀρχάς* et *ἀφορμάς* ambigua res videatur, *ἀπογυμνώσῃ* utrum an *ἀποκναίσῃ* interpolatori debeatur nullo modo dubitari potest, cum illud adeo tale sit, quale nemo quantum vidi defendere conatus sit. Ego quomodo explicem vide in adnotatione.

Cap. IX in ABR scriptum est *ζωμόν* in S *ζυγόν* quod iterum non casu ortum esse discrimen agnoscis. Atque *ζωμόν* si legis abest *αἰτεῖν* verbum vel tale quid, ut iam hac ex parte suspitionem moveat *ζυγόν*. Ipsa verba spectemus. Quid igitur haec sibi volunt *μάλιστα μὲν κρέας εἰ δὲ μὴ ὀστοῦν εἰς τὸν ζυγὸν ἐμβάλλειν* nisi hoc: si non carnis frustum in lancem inicere potest os saltem inicit? Accepit igitur os. Sed sequntur *καὶ ἐὰν μὲν λάβῃ εὖ ἔχει* ut nihil accepisse videatur. Illud enim *εἰ δὲ μή* ne ita intellegas ut sit si non videt, quod nimis esset quaesitum, sed si non carnem at os tamen macellarius in lancem inicere patitur. Neque cur in lancem ille os iniciat perspicio. An pro pondere maiore ut et pretium persolvat maius? Macellarium respondes quantum ille pondus postulasset in lancem inposuisse, inpudentem deinde, non contentum debita portione insuper os iniecisse. Bene; sed tum hercle non *ἐμβάλλειν* erat dicendum sed *προςεμβάλλειν*. Neque ea si res esset intestinorum frusto abrepto discederet ita ut quod emisset vel empturus esset in lance relinqueret. Quod si ita esse volebat scriptor, non debebat tacere. Quae difficultates evanescunt omnes, bonos si sequimur libros atque supplemus *αἰτεῖν*, quod post *ὀστοῦν* quam bene poterat collocari tam facile a librario omitti.

Cap. VII utrum *ἐπὶ Λυσάνδρου* an *ὑπό* verum sit dubium esse nequit. Illud enim ut paullo ante *ἐπ' Ἀριστοφῶντος* esset Lysandri tempore, cum tamen de pugna gar-

rire videatur qua Lysandro duce i. e. ὑπὸ Λυσάνδρου vicerint. Quod propter vicinum illud ἐπὶ mutatum est.

Quam cap. XIII denique contaminati codices scripturam praebent, ea primum efficitur hoc ut ad articulum ante μαχομένους positum nihil possit referri; deinde ut διεγείρειν τοὺς μαχομένους sine additamento tali, quale est in ABR parum sit ad περιεργίαν describendam aptum; tertium denique ut cum eis quae sequntur si coniungis verba καὶ ἧς οὐ γιγνώσκει absurdam Theophrasto ταυτολογίαν obtrudis.

E quibus iam de reliquis iudicium erit conformandum. Contaminatorum codicum quas illo loco collegi scripturas omnes fere interpolationis speciem prae se ferunt, meliorum codicum nulla.

De reliquis quos huc usque consulto a disputatione mea seiunxi, codicibus pauca tantum e coniectura dicenda sunt.

Vaticani a Goezio Siebenkeesiove in praefatione commemorantur quinque, n. 126, n. 1327, n. 102, n. 23, omnes XV ut videtur capp., quinti XXVIII conplectentis nullum adposuit signum, quem cum a ceteris non dissentire dicat ego aut ipsum Casauboni Palatinum aut alium eiusdem stirpis esse suspicor.

Omnes illi Vaticani et qui praeterea in adnotatione hic illic commemorantur, n. 254 et n. 149 quales fuerint ex his agnoscas scripturis, quas omnibus (?) communes esse Siebenkeesius testatur

c. III καὶ ὁ ἀγρὸς εἰς νέωτα cum RS
c. V ἐπιδείξεσιν ὕστερον εἰπεῖν cum RS
c. VII ἀφορμάς cum S
c. IX καὶ τοὺς εἰς τὴν ὑστεραίαν cum AB
c. XIII καὶ οὓς οὐ γιγνώσκει cum ABR
c. XIV omissum ἀνιστάμενος cum A

Vnde ut unam e Bδ contaminatorum codicum familiam prodiisse vidimus, ita alteram ex Aδ sive Aε, siquidem recte

Siebenkeesius c. XIII omnes praeter unum n. 149 καλλωπιζομένῳ exhibere testatus est, contaminatorum agnoscas, cui Vrbinas quoque Siebenkeesii adnumerandus, quippe qui c. IX cum interpolatis praebeat ἢ τὰ μῆλα, c. XIII vero οὗς οὐ γιγνώσκει cum ABR et omittit denique, c. XIV cum A ἀνιστάμενος.

De Florentinis codicibus quattuor, quorum e Riccii editione Coraes aliquot scripturas enotavit, ego e Corais, vix conicias, quoniam omnes cum una littera Coraes insigniverit, singuli quid praebeant, ignoramus. Videntur tamen vel omnes vel unus alterve[1]) e Parisino A derivati esse, hasce modo scripturas confer

c. VI τὴν ἀρχήν cum A
c. VII ἐπιβαλεῖν· A ἐπιβάλλειν rell. ὑποβάλλει
c. IX τιμιώττε A τιμιώτατε rell. τίμιε
τὸν ξωμόν cum ABR (ζωμόν)

Quanta autem omnes fere praeter ABR codices scripti sint neglegentia, atque quousque mutandi libido progressa sit, permultis exemplis demonstrari possit, quae cum omnes illas copias nullius fere pretii esse perspexerimus, colligere nolo. Eorum modo exemplorum memineris, quae e Palatino Neveleti supra congessi. Neque Pircamerus quem a Pico Mirandulano codicem manu scriptum acceperat XV

1) Qui duo iidem fortasse sunt quos Amadutius in adn. c. XXX Mediceo-Laurentianos memorat, alterum plut. 60 n. 18, alterum plut. 86 n. 8, quique cum A c. XXX (XI) μὴ λάβοιεν praebere dicuntur. Nominat etiam alios duos M Laurentianos Amadutius quorum alterum quominus tertium Riccii habeamus, nil inpedit, alterum a quarto Ricciano diversum esse eo adparet, quod inter Riccianos fuit unus post c. II desinens, cum Amadutii quattuor XI saltem et ni fallor XV capita omnes teneant. Eiusdem generis praeterea Angelicanus apud Siebenkeesium et Needhami duo, Osbornianus et Vulcanianus sunt. De Vindobonensibus cf. Schneiderus (ed. CIƆIƆCCLXXXXIX) p. XXVIII sq.

priora capita tenentem, a contaminatis illis et interpolatis diversum fuisse e Fischeri commentariis intellegas.

Attamen ne quid omisisse culper, de Angeli Politiani codicibus et interpretatione latina quae dicta sunt, breviter examinabo. Antiquissimum et a quo posteriores pendere videntur (cf. Menckenii vita A. Politiani p. 103) testimonium Conradi Gesneri est, qui in bibliotheca univers. p. 615 A dixit haec ʻcharacteres etiam sive notae morum a Cratandro impressae sunt seorsim Graece et latine Ang. Politiano interpreteʼ. Qui cum duodecim fere post editam Cratandream haec scripserit, magnae auctoritatis videatur testis, atque ab ipso Cratandro notitiam accepisse. Attamen Cratandrum inlustrissimi Politiani versionem ita editurum fuisse putas, ut ne nomen quidem in titulo declararet? Hoc certe parum veri est simile. Ipse autem Politianus nec in operibus suis nec in epistolis libelli Theophrastei ullam mentionem fecisse videtur.

Ipsa interpretatio ad Cratandream editionem, quam e Pircameriana principe, paucis quibusdam de coniectura mutatis, expressam esse Fischerus demonstravit, ita est confecta, ut et verba et interpungendi rationem stulte plerumque sequeretur interpres. Ita c. XII verba *καὶ πρόθυμος δὲ ἐπιμεληθῆναι ἃ μὴ βούλεταί τις γενέσθαι· αἰσχύνεται δὲ ἀπείπασθαι* sicut in Cratandreà sunt scripta ita ille latino sermone reddidit ʻet se ad ea curanda, quae quis haud fieri vellet promptissimum praebet. Hunc etiam pudet defatigatum videri.ʼ Num Politianum in suo codice vel suis codicibus verba eodem modo dirempta legisse credis, aut tam caecum eum fuisse ut non videret verum?

Interdum tamen ex alio codice Parisinis eo vel Barocciano haud dissimili reficta videtur interpretatio velut c. IX ubi non *ζυγόν* sed *ζωμόν* interpretatur.

Iam vero qui hoc factum esse putas ut eis, quae in Cratandrea de coniectura mutata sunt, quaeque in codice aliquo extitisse numquam mihi persuadebo velut c. I *δείξει*

pro δόξαι vel c. II σκώψαντι pro σκώψας τι vel c. VI ἔργων καὶ λόγων pro ἔργων δικαιολόγων, ut eis inquam respondeat interpretatio, quae creditur esse Politiani triginta amplius annos ante mortui? Neque magis ea, quae Pircamerus suo ingenio mutavit velut c. VIII φόνον pro ζωμόν vel πλεῖστοι λέγω pro πλεῖστοι λόγῳ alia, recepta a Cratandro, Politianus qui potuerit praesagire, intellego.

Postremum qui unam tantum Politiani pagellam legit non potest non abdicare ei interpretationem Theophrasti. Digna hercle sunt viri illius acumine talia, qualia ex uno c. V duo adferam exempla. Verba ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι δεινός ita vertit 'maximam autem nutriendae simiae peritiam tenet,' et verba καὶ ταῦτα περιιὼν χρᾶν ἀεὶ τοῖς φιλοσόφοις q. s. ita 'atque haec lustrans quotidie canit oracula sophistis et q. s.'

Hac igitur codicum condicione perspecta iam de una quae restat de PVaticani cum vulgatae archetypo cognatione, quaestio instituenda, iudicium feremus. Neque vero magna singularum scripturarum praestantia eo nos deduci patiemur, ut codicem quo vulgatae auctor usus sit a PVaticano longiore spatio distare existimemus. Immo ex eodem libro e quo PVaticanus originem duxerit, alium codicem expressum esse mihi persuasi XXVIII capitum, integrum necdum amputatum sive excerptum, corruptum tamen folio illo transposito; atque ex hoc altera ex parte vulgatae archetypum ex altera Monacensem epitomam ortam esse puto.

Quod ut persuaderem mihi causae fuerunt complures; prima quod in eis locis ubi unum tantum aut duo verba vulgatae auctor omisit, sunt ea in PVaticano hodie adeo corrupta, ut luculenta cur omiserit haec causa esse videatur, velut quod statim c. XVI ex eo novum prodiit ἐπιχρωνῆν, c. XIX σφύζεσθαι, c. XXII τὴν κίκλῳ, c. XXV

πεζοῦ ἐκβοηθοῦντός τε, et ib. ὡς ζητεῖν, c. XXVIII οὐκοῦν δέ. Nec non ubi plura omisit excerptor corruptelis saepe commotus esse videtur.

Altera causa est, quod multa PVaticani et vulgatae communia vitia sunt

c. XVI	περιδράμῃ	c. XXIII	αὐτοῖς ἐστι
	διαλάβῃ		κατὰ μίαν
	ἐκλύσασθαι	c. XXIV	καὶ βιάζειν
c. XVII	ὅτι ὑγιές		θελήσας
	νίκην νικήσας		ἐπαλειφόμενον
c. XVIII	φέρων		ἐάσας ἄν
	στεφανοῦντα		γράψειν
	εὐημερεῖν		
c. XXII.	νικῆσαι		

c. XXVIII denique communis post verba ἐπειδὴ δὲ εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφη lacuna, quae per Σωσίδημος, id quod Meierus quoque coniecit IV, 12 explenda esse videtur. Quam maxime autem c. XVI cognationem cernas, ubi ex eo quod in PVaticano scriptum est καθᾶραι δεῖν ὡς pro καθᾶραι δεινός in vulgata factum est καθαριεῖν, vel quod eodem cap. ex ἀπελθόντων factum est ἀπελθών vel denique quod τῶν ἱερέων c. XXII in vulgata est τῶν ἱερείων factum, utrumque falsum pro τῶν μηρίων si recte conieci.

Si denique de tempore licet suspicari, cum Parisini libri optimi X saeculo scripti ferantur, neque vulgatam neque omnium nostrorum codicum archetypum nimis longo ante eam aetatem intervallo scriptos fuisse putaverim.

PARS II.

Theophrastine sit hic, de quo agimus, libellus necne, atque si Theophrasti, utrum singulare opusculum an ex alio libro deductus vel decerptus, de eo multi sunt opinati, argumentis opinionem nemo fere probavit.

Primum qui indignum Theophrasto libellum habuerunt

P. Victorius (locos indicat Pinzgerus in commentatione 'Veber die Charactere des Theophrast' edita Ratiborae CIƆIƆCCCXXXIII), R. Porsonus, Burneius, Valckenarius, videntur ei, nam argumentum nemo protulit, cum scribendi genere inaudito illo, tum singulorum capitum ordine vel confusione potius moti fuisse. Atque Porsonus antiqum esse librum concessit, Theophrasto dignum negavit. Burneius imperatorum Romanorum tempore e comoediis consarcinatas esse descriptiones putavit. Quod quam sit falsum elucet.

Alii partem tantum spuriam iudicare satis habuerunt, Beckius, Pavus, Coraes, qui vel posteriora V a Casaubono primum edita, vel duo e PVaticano quae prodierunt addubitarunt. Putarunt autem e variis ethici argumenti scriptis Theophrasti excerptos esse characteres, nec uno omnes tempore sed paullatim auctum esse numerum. Movit eos codicum nostrorum condicio. Quam opinionem ut falsam non iam opus est me refutare non magis quam quod Schneiderus l. l. p. VIII ex eo quod in Guelferbytano cap. XVI et qui sequntur praescriptum est *ἐκ τῶν Θεοφράστου χαρακτήρων* concludebat characteres a lectore aliquo operum Theophrasteorum excerptos esse. Nihil enim inde consequitur nisi librarium qui XV priora capita in codice suo descripta haberet cum pleniorem invenisset (Monacensem 317) relicua quoque octo capita transcripsisse, atque cum inverso ordine praecederent priorem partem, iure suo inscriptionem illam fecisse eum.

Invaluit tamen illa de excerptis characteribus opinio ita ut recentiores quoque in illa acquieverint. Etiam Hottingerus p. 28 hanc suam fecit. Quo magis mireris, quod ex una quam eiusmodi descriptionum legem esse statuit singulae Theophrastine essent necne dignoscere conatus est.

Quare hac ex parte melior Astii sententia est, singularem nos Theophrasti librum versare. Summa autem eorum quae in prolegomenis ille exposuit, haec est.

Cum tria sint talium descriptionum genera, primum rhetoricum, alterum philosophicum, mimicum tertium, tertio meram parari vult delectationem. Rem sibi eligere mimicum scriptorem nec praestantem virtutibus nec turpem foedamve sed eam, 'quae propter suam ipsa naturam iocum et risum admittat, homines inferiores, vulgares, atque, cum duplex hominis natura sit altera voluntati iudicioque obnoxia, altera casum potius caecumque impetum secuta, eos sibi mimicum sumere decribendos, qui iudicio minus quam casu regantur.' Illorum enim (p. 16) qui iudicio voluntatique cupidines et adfectus subiecerint mores minus patere dicit, quam qui describi possint. Tribus autem potissimum studere scriptorem mimicum, veritati in describendo, deinde iudicii elegantiae in eligenda materie risui delectationique parando aptissima, tertium brevitati. Quae omnia in hoc Theophrasti libello quam maxime laudanda esse existimat. Esse autem illas lepidas morum humanorum non vere inproborum et flagitiosorum sed per se ridiculorum, nec bonorum nec malorum imagines. Atque hoc ipso eos refelli putat, qui ex scriptis philosophicis excerptas arbitrati sint descriptiones, deinde eo, quod philosophum vitia virtutibus oppositurum fuisse contendit.

Similis huic Hottingeri sententia, qui p. 12 ita disserit 'Dass Theophrast ebensowenig durchaus böse und lasterhafte Charactere habe schildern wollen — das lehrt der Augenschein' et p. 19 'das lächerliche ist und bleibt ausschliessend der Stoff für die Characterschilderung, sowie die Narrheit der gewöhnlichste, weil das lächerliche sich selten ohne diese findet.'

Eandem in his viam argumentandi agnoscas, qua in crisi exercenda utrumque ingressum esse supra vidimus, ut a praeiudicatis opinionibus profecti, eis rem adaptare studerent. Etenim ut omnia concedam, quae de mimico genere statuit Astius, ita revera esse, neque praeter delectationem aliud mimicum scriptorem, quem dicit, persequi,

attamen talem hoc libro Theophrastum se ostendisse id minime verum est. Atque tres inter XXX descriptiones ipse Astius abiudicavit Theophrasto, quippe quae ipsius opinioni refragarentur, nec pararent quam vult meram delectationem, c. XVI, c. XXVI, c. XXIX. Quibus si libere ac sincere iudicas, non potes non alios sex addere c. I, VI, XV, XXII, XXVIII, XXX in quibus omnibus aut nihil aut perpauca tantum eius generis insunt, cui uni Theophrastum operam dedisse Astius docet. Praeterea in relicuis etiam magna pars ita est conparata ut delectationi multo minus quam veritati Theophrastum studuisse intellegas.

Deinde quo iure non vitiorum esse illas descriptiones contendunt, sed morum indifferentium? Videtur nimirum Astius prorsus inmemor fuisse Peripateticorum doctrinae. Sunt enim quae ab Aristotele et Eudemo virtutibus opponuntur *κακίαι* magna ex parte eadem vitia quae hoc libro descripsit Theophrastus, velut *εἰρωνεία, ἀλαζονεία, κολακεία, ἀρέσκεια, δειλία,* alia.

Gravissimum autem quoque tota illa opinio labefactatur et concidit adeo, id est, quod si mimicum hoc, ut voluit quidem Astius, artisque legibus circumscriptum opus Theophrastum conponere voluisse ponamus, artis inperitissimum eum fuisse simul ponamus necesse est. Prooemium ipse Astius subditicium iudicavit ita, ut sine capite sit liber, singula autem membra disiecta, nullaque ordinis ratione habita conglutinata, pauca quaedam si excipias, quae olim certum ordinem fuisse indicare videntur. Nunc enim neque quae similia sunt neque quae contraria in uno loco posita sunt. Neque porro, singulas descriptiones si spectas, artem invenias, sed singulas notas nullo alio plerumque vinculo coniunctas, nisi *καί* et *δέ* particulis. Atque ea praecipue quae de ordine dixi, ut excerptos characteres habeamus movent. Astius quidem quae contra hanc opinionem monuit primum non vitia et virtutes inter se op-

positas esse, id nihili est. Poterant enim ea ipsa quae de virtutibus dixisset scriptor omissa esse ab epitomatore, quia aut omnino non ita descripti essent probi homines, aut si erant non placerent. Nec alterum gravius est: non de vitiis disseri et eis, quae singulis vitiis propria essent sed de singulis hominibus, quoniam non certos homines Theophrastus notavit sed tales, quales non minus abstracti essent quam ipsa vitia.

Inter testimonia veterum antiquissimum est Diogenis Laertii, qui bis citat, ἠθικοὶ χαρακτῆρες in prima scriptorum Theophrasteorum parte, altera χαρακτῆρες ἠθικοί. Erat ergo tum singularis liber, qualem fere nos nunc legimus. At aliorum quoque Theophrasti operum epitomas inter scripta eius a Diogene referri quamvis ab ipso Theophrasto non confectas Vsenerus docuit anal. Theophr. p. 18 sq. Contra maiora Theophrasti opera de morali doctrina scripta omnino non commemorat idem Diogenes, quod haud scio an faveat suspitioni.

Multo minus relicua valent testimonia Suidae (Eudociae), Eustathii, Tzetzae qui cum post decimum huius aerae saeculum vixerint ipsis codicibus characterum antiquissimis inferiores sunt aetate, nec alium, quam nos nunc librum habuisse eos veri simillimum est. Ita Tzetzes chil. 9, 941 his verbis

Θεόφραστος συνέγραψε πάλιν τοὺς χαρακτῆρας
ἐτῶν ὑπάρχων ἕκατον παρὲξ ἑνὸς καὶ μόνου

ipsum prooemium nostrum ante oculos habuit. Ad ipsum igitur libellum recurramus necesse est.

Praemissum est prooemium ab ipso ut videtur Theophrasto conscriptum. Dicit enim scriptor sese characteres illos scripsisse, atque hinc ficta est inscriptio *Θεόφραστος Πολυκλεῖ* quae in cod. Angelicano extat. Atque prooemium si ab ipso Theophrasto scriptum esset omnis tum quaestio absoluta esset, soluınque ut de alterius libelli

partis, quae quidem proborum notationes contineret, interitu doleremus, superesset. Attamen postquam C. G. Sonntagius in commentatione de praefatione illa scripta prioris saec. anno LXXXVII subditiciam eam esse demonstravit, nemo fere Theophrasto tribuit. Sunt enim ab initio usque ad finem merae ineptiae hominis omni cogitandi pariter ac scribendi facultate destituti. Quis obsecro talem verborum sententiarumque ordinem toleret *ἐγὼ δὲ συνθεωρήσας ἐκ πολλοῦ χρόνου τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, καὶ βεβιωκὼς ἔτη ἐννενήκοντα ἐννέα, ἔτι δὲ ὡμιληκὼς πολλαῖς τε καὶ παντοδαπαῖς φύσεσιν καὶ παρατεθεαμένος ἐκ πολλῆς ἀκριβείας*? Praeterea enim quod postremis verbis idem ineptissime repetit quod in initio dixit, nec relicua *ἔτι* et *καί* particulis recte adiunxit, cum non nova eis adderet, sed explicaret illud, meditatum se esse, et diu quidem meditatum. Proximo enunciato, sententiam vix dixerim, belle per *τε* — *καί* coniunguntur haece *ὅσα τε τυγχάνει γένη τρόπων τούτοις προςκείμενα καὶ ὃν τρόπον τῇ οἰκονομίᾳ χρῶνται*, quibus ne subiectum quidem commune est, sed prioris partis *γένη* alterius ex *τούτοις* subintellegendum *αὐτοί*. Praeterea summam verborum inopiam observare licet, qua cogi se passus est miser, ut eodem saepius verbo paucis quibusdam interpositis bis uteretur et diversis quidem notionibus velut *τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν* et *παντοδαπαῖς φύσεσιν* — *κατὰ γένος* et *ὅσα γένη* — *ὑπέλαβον* et *ὑπολαμβάνω*.

Nec in coniungendis ille sententiis melius sapit. Primum et olim miratum se ait et tunc etiam mirari de morum diversitate. Ingeniosam sententiam! Proximum cum per *γάρ* subiungatur enunciatum causam adferri putaveris vel explicationem mirandi. Frustra. Aperit enim hoc, morum se cepisse describendorum consilium, ut in admirationem illam tum videatur incidisse cum consilium cepisset. Iam ad consilium illud ineundum quid moverit se, exponit quidem sed interpositis verbis *ἐκθήσω δέ σοι* et

q. s., quae ut dirimunt illa, ipsa quoque male sunt disiuncta ab eis quae sequntur πρῶτον μὲν οὖν.

Quod ad res adtinet, quae ipso initio narrantur tam sunt falsae ut recte in eis omnes offenderint. Est autem alterum in hisce perversum ab Hottingero primo perspectum, quod quidem ita scriptor locutus est, tamquam singularum gentium graecarum proprietates sequerentur descriptae et diversitates, ut ne legisse quidem, quibus praefatus est, descriptiones videatur. Quas ineptias omnes Nastius quidem seni nonaginta novem annos nato ignoscendas putat, gravique senectute excusatas habet, a qua Nastius nescio num excusationem habeat.

Ad interna argumenta externum accedit, quo si qui supersunt scrupuli, prorsus evellentur. Dicit enim scriptor, ἀλαζών non εἴρων, novem et nonaginta annos natum se ad hoc opus perficiendum accessisse. Attamen Theophrastum ultra octogesimum octavum aetatis annum progressum esse negat Laertius Diogenes V, 2, 11. Atque aut in Diogenis verbis aut in hoc prooemio numeros quominus mutemus cum ratio inpedit, tum adcurata conputatio, quam post Sonntagium et Droysenum Max. Schmidtius instituit in commentatione de Theophrasto rhetore. Hieronymus, qui praeter Tzetzem cuius quantum valeat testimonium, vidimus, unus favet Pseudotheophrasto, cum centesimum septimum annum agentem mortuum esse tradat in epistula ad Nepotianum scripta, erravit.

Post haec vix operae pretium est commemorare quod ad verba τοὺς υἱεῖς ἡμῶν post Casaubonum monuit Sonntagius, Theophrastum liberis caruisse. Id autem paullo gravius est, quod cum in primo capite multae iam et corruptelae et scripturarum discrepantiae in codicibus nostris insint, ab utrisque fere liberum est prooemium.

Nulla igitur de eo potest esse dubitatio quin ab inepto quodam homine et extra Graeciam, ut videtur, degente confecta sit praefatio ipsique Theophrasto subposita.

Itaque caput praecisum. Restant membra disiecta, singulae descriptiones, quae unam omnes formam habent; sequitur enim vitii definitionem ipsius vitiosi descriptio, ut vel hinc suspitio oriatur in eas, quae paucis tantum in fine annexae sunt clausulae I, III, VI, VIII, XXVIII, XXIX. Quae suspitio firmatur ipsa clausularum natura, quae cum ipsis descriptionibus omnino non sunt coniunctae. Hoc autem omnibus fere repetitur, quam sint molesti et intolerabiles homines vitiosi. Id quod quam maxime cadit in c. VI finem *ἐργώδεις δέ εἰσιν οἱ τὸ στόμα εὔλυτον ἔχοντες πρὸς λοιδορίαν* cet. quibus repetitur tantum quod de clamoribus et conviciis hominis illius supra dictum erat, molestique dicuntur tales homines, quod non languet modo, sed risum movet, non eum cui Astius Theophrastum studuisse contendit. Quo exemplo quod elegantiae cuiusdam studium elucet summa cum mentis exilitate coniunctum id magis etiam octavo capite conspicitur. Quaenam in his cogitandi ratio *οὐ γὰρ μόνον ψεύδονται, ἀλλὰ καὶ ἀλυσιτελῶς ἀπαλλάττουσι,* aut quaenam horum verborum concinnitas, vel si priores partes — *οἱ μὲν ἐν τοῖς βαλανείοις περιστάσεις ποιούμενοι — ἐν τῇ στοᾷ πεζομαχίᾳ καὶ ναυμαχίᾳ νικῶντες — εἰσὶ δ' οἱ καὶ πόλεις τῷ λόγῳ κατὰ κράτος αἱροῦντες,* vel si tota inter se conparaveris? Duo enim oppositionem quandam continent, *νικῶντες — ἐρήμους δίκας ὠφλήκασιν* et *κατὰ κράτος αἱροῦντες — παρεδειπνήθησαν* qualem in tertio frustra quaeras *περιστάσεις ποιούμενοι — τὰ ἱμάτια ἀποβεβλήκασι.*

Quae omnia scriptorem redolent similem illi qui progenuit praefationem, atque est hoc veri simillimum ab eodem utraque addita esse. Neque scribendi hunc illo peritiorem fuisse multa clamant, ut vix recte egisse videantur editores omnia corrigentes, quae displicerent. Cap. I oppositionem *τὰ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ ἀλλ' ἐπίβουλα* non habeo qui tuter, contra eum qui neget *ἤθη* dici posse *ἐπίβουλα.* Neque in *εἴρωνα* qui ipsi sibi detrahit insidiosi

epitheton quadrat. Cap. III ἀπαλλάττουσι, cum accusativo iunctum a Graecorum scriptorum consuetudine abhorrere recte Casaubonus monuit, neque quod paullo post sequitur συναρκεῖσθαι verbum vel aliunde notum est, nec hic quid sibi velit intellegas.

Iam ipsae descriptiones cum definitionibus supersunt, quas non singulare opus fuisse ipsius Pseudotheophrasti opera inani agnoscitur qui ut speciem hae unitatis haberent laciniae prooemium praefixit et cohortationes nonnullas adiecit. Nunc vero si excerpta haec esse constat, unde excerpta sint investigandum.

Quam autem alienum est de rhetorico opere cogitare tam hercle propinquum de ethico scripto, cum a Casaubono olim expositum sit, et ante illum ab Auberio observatum, magnam vitiorum a Theophrasto descriptorum partem etiam ab Aristotele tractatam esse in Ethicis Nicomacheis. Postea, cum Hottingeri Astiique opinionibus oblitterata illa esse notitia videretur a Zellio denuo haec quaestio tractata est duobus de characterum Theophrasti indole commentationibus editis primum annis huius saec. XXIII et XXIV, repetitis ante hos duos annos in eius opusculis academicis. Cuius opera quamquam melius etiam perspectum est, quam late pateat Theophrasti characterum cum morali Aristotelis doctrina similitudo, tamen quae ad ipsum Theophrasti opus morale vestigia deducerent, nemo indagavit, omnesque satis habuerunt, Theophrastus quos περὶ ἠθῶν libros conscripserit significare, ut Sauppius prol. ad Philodemi de vitiis l. X p. 9, quem probavit Vsenerus anal. p. 18.

Scimus autem Dionysii Halicarnassensis testimonio (de conp. verb. p. 370 ed Schaefer) eandem, quam Aristotelem, et discipulos illius de virtutibus inter vitia utrimque opposita mediis doctrinam propagasse, id quod de Eudemo ex ipsius ethicis cognoscitur. Atque Theophrastum duo ethici argumenti opera conposuisse constat alterum ἠθικά inscriptum, περὶ ἠθῶν alterum, utrumque plurium libro-

rum. Quorum alterum Aristotelis Eudemiive ethicis simile fuisse proclivis coniectura est. Attamen nomine ne decipiamur cavendum est. Ἠθικά enim corpus fuisse singulorum scriptorum ethicorum velut eius quod a Diogene singulatim referatur περὶ εὐδαιμονίας ab Andronico collectorum recte Vsenerus videtur statuisse. Itaque de altero ut exploremus oportet.

Simonidis avaritiam in transcursu adtigit Aristoteles Nic. IV, 2 p. 1121 A, 7 tam breviter ut doluisse videatur de summi poetae vitio. Ad quem locum scholiasta in Crameri anecd. Paris. I p. 194 adnotat haec Σιμωνίδην τὸν μελοποιὸν λέγει· τοῦ γὰρ ὡς φιλαργύρου μέμνηνται ἄλλοι τε καὶ Θεόφραστος ἐν τοῖς περὶ ἠθῶν. Hinc iam nescio an de similitudine huius operis et Aristotelis Nicomacheorum coniectura sit non adeo difficilis. Quam probabiliorem reddunt haec. Inter alios a scholiasta illo commemoratos erat etiam Chamaeleon Theophrasti discipulus, qui Athenaeo teste XIV, 656 C haec de poeta lyrico dixerat ὄντως δὲ ἦν ὡς ἀληθῶς κίμβιξ ὁ Σιμωνίδης καὶ αἰσχροκερδής. Haec autem vitia κιμβικία et αἰσχροκέρδεια cum species sint inliberalitatis ἀνελευθερίας (cf. Aristot. Nic. IV, 3 p. 1121 B, 21 et 33 sq. et p. 1122 A, 8 Eudem. III, 4 p. 1232 A, 12) ex ethico aliquo opere hausisse videatur Chamaeleon, quod cum nec Aristotelis sit nec Eudemi, Theophrasteum fuisse vel propter scholiastae verba simillimum est veri. Itaque cum in libris περὶ ἠθῶν ad Aristotelis exemplum de vitiis dissereret Theophrastus, Simonide exemplo usus esse videtur.

Deinde cum de Adranto sive Adrasto Athenaeus XV, 673 E haec narret ἐκδόντος γὰρ τούτου πέντε μὲν βιβλία περὶ τῶν παρὰ Θεοφράστῳ ἐν τοῖς περὶ ἠθῶν καθ᾽ ἱστορίαν καὶ λέξιν ζητουμένων, ἕκτον δὲ περὶ τῶν ἐν τοῖς Ἠθικοῖς Νικομαχείοις Ἀριστοτέλους consequitur nimirum eandem fere utroque libro rem tractatam fuisse.

E quibus duo sunt quae discas, primum fuisse ubi

Aristotelem praeceptorem suum ita sequeretur Theophrastus, ut singula quoque ab illo prolata in suum usum converteret, quae inter Eudemum quoque et Aristotelem ratio intercedere observata est; deinde grammaticarum quaestionum et historicarum longe uberiorem Theophrastum subministrasse materiam quam Aristotelem.

Ioannes Stobaeus quae in eclogis ethicis II p. 244 sqq. (Heeren) sub hoc indice *Ἀριστοτέλους καὶ τῶν λοιπῶν Περιπατητικῶν περὶ τῶν ἠθικῶν* congessit, non ex unius Aristotelis libris desumpta esse, ut profitetur Stobaeus ita res arguit. Quos autem praeter illum principem duces secutus sit difficillima quaestio est, nec ab ullo tractata. Difficiliorem etiam Madvigius reddidit, qui ad Cic. de fin. V, 9 et 12 et in excursu VII ex Antiocho philosopho inter Academicos et Peripateticos medio Stobaeum hausisse, quae Aristoteli aliis ascriberet, contendit. Quamquam vero nihil Antiocho debuisse Stobaeum non adfirmaverim, et quis hoc adfirmet, omnia tamen ex illo deprompsisse nego propterea quod multa apud Stobaeum verbo tenus cum Aristoteleis consentiunt. Quamobrem probabilior a Spengelio prolata est coniectura in commentatione: Veber die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften, edita ea in actis acad. Monac. a. CIↃIↃCCCXXXXI, p. 494. Vbi cum exposuisset id inter Aristotelis doctrinam moralem et Magna Moralia discrimen intercedere, quod cum Aristoteles ethicas virtutes discrevisset a dianoeticis, sublatum hoc esset in Mag. Mor., addidit in adnotatione, a quonam primum sublatum sit quaerens haece ‘vielleicht schon von Theophrast; auffallend nämlich ist wie der Auszug der Ethik bei Stobaeus p. 241—322 der Art redet, dass man am Anfange und an den von den Eudemien abweichenden Stellen der grossen Ethik ihr Vorbild zu erkennen glaubt. Nach p. 300 zu schliessen ist es aber vorzüglich Theophrastus, dessen ethische Schriften diesem Auszuge zu Grunde gelegt werden.’ Quam suspitionem

adcuratius examinare et a viribus meis et ab hoc loco alienum est. Sed ad eam eclogarum partem quod adtinet quae inscripta est *περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς ὅτι μεσότητες* II p. 293 sqq. recte aestimandam pauca adferam. Nam quae Stobaeus scripsit haec *ταύτας δή φασιν ὑπ' ἐνδείας καὶ ὑπερβολῆς φθείρεσθαι· πρὸς δὲ τὴν ἔνδειξιν τούτου τοῖς ἐκ τῶν αἰσθήσεων μαρτυρίοις χρῶνται βουλόμενοι τῶν ἀφανῶν ἐκ τῶν φανερῶν παρέχεσθαι πίστιν. αὐτίκα γὰρ ὑπὸ τῶν γυμνασίων πλειόνων γενομένων ἢ ἐλαττόνων φθείρεσθαι τὴν ἴσχυν* cet., consentiunt ea et cum Aristotele Nicom. II, 2 p. 1104 A, 11 sqq. et cum eis quae in Mag. Mor. leguntur I, 5 p. 1185 B, 14. Cum his Stobaeo commune est quod de sensibus argumenta petenda esse dicuntur *τοῦτ' ἰδεῖν ἐστιν ἐκ τῶν αἰσθησέων* (ita enim Spengelius correxit quod scriptum erat *ἐκ τῶν ἠθικῶν*). Quae de gymnasiis dicit Aristoteli similiora sunt. Hic ut Stobaeus *πλειόνων* et *ἐλαττόνων* habet, cum in Mag. Mor. sit *πολλῶν* et *ὀλίγων*. Quamvis igitur et Nicomacheis et Magnis similia sint quae Stobaeus enarravit, neutri tamen ea debuit, sed alium ducem secutus est Aristoteli non dissimilem, unde et in Magna quaedam descenderunt. Quem Theophrastum fuisse conicias propterea quod ad eundem post spatium non ita magnum revertitur loco, quem mirum quam perperam intellexerint, II p. 301 *τὸ οὖν πρὸς ἡμᾶς μέσον ἄριστον, οἷόν, φησιν ὁ Θεόφραστος, ἐν ταῖς ἐντυχίαις ὁδὶ μὲν πολλὰ διελθὼν καὶ μακρῶς ἀδολεσχήσας, ὁδὶ δ' ὀλίγα καὶ οὐδὲ τἀναγκαῖα, οὗτος δὲ αὐτὰ ἃ ἔδει μὴ τὸν καιρὸν ἔλαβεν*, quae transcripsi ut in codicibus leguntur.

Primum in verbis *ἐν ταῖς ἐντυχίαις* indicem inesse suspicati sunt libri Theophrastei eius e quo illa petita essent. Coniecit igitur Heerenius *ἐν τοῖς περὶ εὐτυχίας* non sine audacia. Vsenerus autem p. 9 in adnotatione ad librum a Diogene laudatum *περὶ εὐτυχίας ᾱ* testimonium adferens Stobaei verba illa ita scripsit *Θ. ἐν ταῖς εὐτυ-*

χίαις ut ad litteras propius ita a veritate tamen longius abscedens. Nisi forte quem *περὶ οὐρανοῦ* singularem librum scripsit Theophrastus, ita citari potuisse tibi persuadeas *Θ. ἐν τοῖς οὐρανοῖς* aut alium ita *Θ. ἐν ταῖς διαβολαῖς* pro *Θ. ἐν τῷ περὶ διαβολῆς*? Itaque si librum *περὶ εὐτυχίας* hic citari credas, quo iure possis postea videbimus, Heerenium sequere. In quo libro quid ad mediocritates tractandas eum commoverit tu rimare.

Sed iam novo errore offendimus eoque longe graviore quem post Heerenium repetivit Gaisfordus in indice rerum et nominum p. 828 s. v. Theophr. Putarunt ei Theophrastum a Stobaeo vituperari propter garrulitatem his verbis *ὁδὶ μὲν πολλὰ διελθών* cet., quo factum est, ut proxima quoque inpedita sibi redderent. Neque tamen certior res est, quam virtute aliqua sive mediocritate vitiisque illi oppositis exemplo uti Theophrastum, ut demonstret quod proposuerit *τὸ οὖν πρὸς ἡμᾶς μέσον ἄριστον*, nec manifestius quid, quam per *ὁδί* et *ὁδί* eos significari qui *ὑπερβολῇ* et *ἐλλείψει* peccent, deinde per *οὗτος* eum qui medium inter utrumque locum teneat. Corrupta quae sequuntur *μὴ τὸν καιρὸν ἔλαβεν* ita ego expedienda duco, ut quod ante *οὐδὲ τἀναγκαῖα* perperam nunc collocatum est *καί* transposito scribam *καὶ μὴν τὸν καιρὸν ἔλαβεν.*

Structura verborum brevitate inpedita ita explicanda videtur: peccant (quod in *ὁδί* inest) alter plus aequo, minus alter loquens, hic (*οὗτος* i. e. *ὁ μέσος*) ea ipsa dicit quibus opus sit, nec rectum tempus praetermittit. Quo usu tritum fuisse *καιρὸν λαμβάνειν* Menandri loco prabari potest qui est apud Meinekium IV, 115

ἂν βραχεῖς αὐτοὺς (λόγους) ποιῇ τις τόν τε καιρὸν
εὖ λάβῃ.

Quid igitur medium *τὸ πρὸς ἡμᾶς* sit exponens Theophrastus, ea usus est exemplo mediocritate, quae cernatur *ἐν ταῖς ἐντυχίαις* (quod alibi *ἔντευξις* est). Quod ut explicem sufficit Theophr. char. VII quo describitur *λάλος*

adponere *ὁ δὲ λάλος τοιοῦτός τις, οἷος τῷ ἐντυγχάνοντι εἰπεῖν* cet. Atque eodem modo Aristotelem de vitiis et virtutibus disseruisse e Nicom. IV, 12 p. 1126 B, 11 intellegas ubi haec sunt *ἐν δὲ ταῖς ὁμιλίαις* (quod prorsus respondet illi *ἐν ταῖς ἐντυχίαις*) *καὶ τῷ συζῆν καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν οἱ μὲν ἄρεσκοι δοκοῦσιν εἶναι οἱ πάντα πρὸς ἡδονὴν ἐπαινοῦντες καὶ οὐθὲν ἀντιτείνοντες ἀλλ' οἰόμενοι δεῖν ἄλυποι τοῖς ἐντυγχάνουσιν εἶναι.* Cognoscitur autem hoc Stobaei loco amplificasse Theophrastum virtutum numerum et vitiorum, quod quanti sit momenti ut intellegas tertiae septimaeque modo descriptionum memineris Theophrastearum.

Porro cum paullo post apud Stobaeum *εἶτα παραθέμενός τινας συζυγίας ἀκολούθως τῷ ὑφηγητῇ* sint, ea quoque quae inter haec et priora illa interposita sunt Theophrasti esse adparet, e libris *περὶ ἠθῶν* haud dubie desumpta *αὕτη μεσότης πρὸς ἡμᾶς, αὕτη γὰρ ὑφ' ἡμῶν ὥρισται τῷ λόγῳ. δι' ὃ ἔστιν ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.* Quae si cum eis conparaveris quae in Nicomacheis II, 6 p. 1106 B, 36 praecepta sunt ab Aristotele, confirmatum vides, quod supra diximus Theophrastum in singulis quoque adcuratissime interdum praeceptorem suum secutum esse. Neque vero haec tantum ab eo sumpsisse potest, sed et in eis quae praecedunt, non minus eadem fere argumentandi via progressum esse necesse est, ut qui eadem isdem verbis recolligat.

Pergebat Theophrastus, teste Stobaeo ad praeceptoris exemplum virtutes enumerans cum vitiis oppositis. Eo tamen ab illo decessit, quod non omnes hoc loco, sed nonnullas tantum exempli gratia tractavit (*τινὰς συζυγίας* — et *ἐλήφθησαν δὲ παραδειγμάτων χάριν αἵδε,* quae cave ne de sua excerpendi ratione Stobaeum dixisse credas). Vnde postea de omnibus uberius enarraturum fuisse cognoscis, ita ut Aristoteles quoque et Eudemus fecerunt.

Idem verbis σκοπεῖν ἔπειτα καθ' ἕκαστα ἐπάγων Stobaeum significasse credo, neque quam hic singulorum adcuratam pertractationem promittit, eam esse, quae paucorum illorum exemplorum perbrevis adumbratio adiecta est. Quam si dicere voluisset, inepta fuisset praemonitio. Quod quidem septem, quas exempli gratia virtutum vitiorumque paria priore loco Theophrastus posuerit τινὰς συζυγίας dicit Stobaeus longe maiorem Aristotele virtutum vitiorumque numerum Theophrastum tractasse indicat. Praeterea iustitiam inter alias enumerari virtutes vides, non secludi seorsimque de ea disputari, ut ab Aristotele factum est Nicom. l. V.

Quae sequntur apud Stobaeum usque ad II p. 316 eorum quantum ad Theophrastum adtineat, non nostrum est examinare. Sed p. 316 ad ethicas virtutes regressus magnum earum simulque vitiorum oppositorum numerum congessit Stobaeus, quae ex eodem Theophrasti opere sumpsisse verisimillimum est. Nam profecto ineptus fuisset Stobaeus, alium si in prioribus exemplis alium in posterioribus secutus esset. Quod quidem alio hic ordine singula se excipiunt paria quam priore loco, id nullius momenti est. Neque enim Aristoteles neque Eudemus, quorum uterque breviter primum, dein uberius ethicas virtutes tractavit constiterunt sibi sed alterum altero loco ordinem secuti sunt.

Ipsam tabulam si spectas nec ex Aristotelis Nicomacheis, nec ex Eudemi ethicis excerpta haec esse intellegas, nec denique e Magnis moralibus, quippe quae minorem numerum contineant. Attamen hoc maxime mirum, quod quo Stobaeus hoc loco singula paria ordine enumerat eodem et Mag. moralium auctor collocat, diverso eo ab Aristotelis et Eudemi, ut ex eodem scriptore et Mag. morr. scriptorem et Stobaeum hausisse iterum adpareat, qui praeter Theophrastum quis fuerit non video. Atque hic iam Spengelii verborum meminisse iuvat, quae supra citavi.

Neque externum deest argumentum. P. 348 inter verba *μεγαλοπρέπειαν δέ* et *μεσότητα φθονερίας* et vitia magnificentiae opposita intercidisse et virtutem mediam inter *φθονερίαν* et *ἐπιχαιρεκακίαν* dudum Heerenius observavit, qui quod iam non possumus non probare hoc adnotavit 'facile tamen locus subpletur ex Aristotelis Mag. morall. I, 27 *μεγαλοπρέπειαν δὲ μεσότητα ἀλαζονείας* (corrigas *σαλακωνείαν*; neque tamen Gaisfordus correxit!) *καὶ μικροπρεπείας. νέμεσιν δὲ* cet. Eandem vero *σαλακωνείαν* p. 303 in eis quae de Theophrasto Stobaeus sumpsit, magnificentiae oppositam habes, cum Aristoteles in Nicom. II, 7 et IV, 4 eius loco *βαναυσίαν* nominet, et *ἀπειροκαλίαν*, Eudemus in tabula virtutum vitiorumque II, 3 *δαπανηρίαν* dicat. Qui quidem cum eadem pagina diceret *ὁμοίως δὲ καὶ ὁ μικροπρεπὴς καὶ ὁ σαλάκων* et libro III, 6 *ὁ δ' ἐπὶ τὸ μεῖζον καὶ παρὰ μέλος* (*δαπανῆς προαιρετικὸς*) *ἀνώνυμος, οὐ μὴν ἀλλ' ἔχει τινὰ γειτνίασιν, οὓς καλοῦσί τινες ἀπειροκάλους καὶ σαλάκωνας* Theophrastum designasse videtur.

Iam si haec Stobaei excerpta inspicias, ab Aristotele et Eudemo non eo tantum decessisse Theophrastum vides quod ethicarum virtutum et dianoeticarum discrimen tolleret, sed et eo dissentire videtur quod *αἰδῶ* et *νέμεσιν* relicuis pares habuerit virtutes. Aristoteles enim postquam ultimo loco tres tractavit virtutes, quae sunt *ἀλήθεια, εὐτραπελία, φιλία* ad *αἰδῶ* et *νέμεσιν* transgressurus ita praemonuit II, 7 *εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη μεσότητες· ἡ γὰρ αἰδὼς ἀρετὴ μὲν οὐκ ἔστιν* cet. Eudemus ultra etiam progressus omnes, quas septimo libri tertii capite mediocritates tractavit *νέμεσιν, αἰδῶ, φιλίαν, σεμνότητα, ἀλήθειαν, εὐτραπελίαν* virtutes esse negat. Qua de re cum esset disceptatio, incertam rem reliquit Mag. mor. auctor I, 33 p. 1193 A, 36 *εἰ μὲν οὖν εἰσὶν αὗται ἀρεταὶ ἢ μή, ἄλλος ἂν εἴη λόγος· ὅτι δὲ μεσότητές εἰσι τῶν εἰρημένων δῆλον.*

Mediocritatum numerum Eudemus amplificavit, ipse a Theophrasto superatus, qui, quod ex hac Stobaei tabula intellegitur, hanc praesertim moralis doctrinae partem excoluisse et adumbrasse videtur, id quod haud scio an ipso nomine περὶ ἠθῶν confirmetur. Stobaeus autem dubitari nequit, quin magnam mediocritatum a Theophrasto propositarum numerum omiserit. Dicit enim ipse nominata iustitia πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων οὐσῶν ἀρετῶν τῶν μὲν καθ' αὑτάς, τῶν δὲ ἐν εἴδεσι τῶν εἰρημένων — atque quod mox addit. ἐπιδραμεῖν οὐκ ἄτοπον καὶ τοὺς τούτων ὅρους de eis intellegendum est, quae sunt ἐν εἴδεσι τῶν εἰρημένων. Attamen harum quoque paucas tantum Stobaeus adtulit ultimae scilicet δικαιοσύνῃ quas Theophrastus subiunxit, quasque primis duabus σωφροσύνῃ et ἀνδρείᾳ. Ad hanc enim referendas esse φιλοπονίαν et εὐψυχίαν quamquam Stobaeus non dixit, Aristotelis, qui dicitur, libri περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν loco demonstratur c. 4 p. 1250 B, 4 παρέπεται δὲ τῇ ἀνδρείᾳ καὶ ἡ εὐτολμία καὶ ἡ εὐψυχία .... ἔτι δὲ καὶ ἡ φιλοπονία καὶ ἡ καρτερία. Hoc ipso autem quod primi, secundi et postremi paris species enumeravit, excerptorem agnoscas, atque relicuis non minus quam hisce generibus species fuisse adiectas.

Atque parum veri simile est, qua antea exemplo usus esset Theophrastus, mediocritate garrulitatem inter et taciturnitatem media eam cum de ipsis mediocritatibus ageret, omisisse.

Inter ea quae Stobaeus servavit nomina, quod et δεισιδαιμονία est, non nullius hoc momenti est, quoniam Hottingerus eo ipso, quod δεισιδαίμων apud antiquiores et bonos scriptores idem ac θεοσεβής valere statueret, suspitionem suam de subditicio capite XVI δεισιδαιμονίας firmari putavit.

Vt iam cum Theophrasto conferamus Theophrastum haece quae infra posui vitia characterum libro et libris περὶ ἠθῶν si recte coniecimus communia fuisse scimus

	[σωφροσύνη]	ἀναισθησία c. XIV
	[ἀνδρεία]	δειλία c. XXV
	[ἐλευθεριότης]	ἀνελευθερία c. XXII
αὐθάδεια c. XV	[σεμνότης]	ἀρέσκεια c. V
	[αἰδώς]	ἀναισχυντία c. IX
	[εὐτραπελία]	ἀγροικία c. IV
κολακεία c. II	[φιλία]	
ἀλαζονεία	[ἀλήθεια]	εἰρωνεία
δεισιδαιμονία	[εὐσέβεια]	

Quibus addere licet *ἀδολεσχίαν*. Duodecim sunt inter triginta. Reputandum autem magnam a Stobaeo partem omissam esse. Itaque si colligimus, quae facili opera aliis subiungi possint ut *ἐν εἴδεσιν* eorum *οὖσαι, σεμνότητι* vel *αὐθαδείᾳ* potius cognatae sunt *ὑπερηφανία* et *ὀλιγαρχία*, quibus nescio an oppositae fuerint illi *φιλοπονηρία*, huic *ἀπόνοια*. Vt enim *ὑπερήφανος* omnes contemnit probos aeque ac malos ita *φιλοπόνηρος* non probos tantum contemnit quantum amat inprobos. Confidentius de altero pari adfirmaverim. Pollux enim III, 65 ei qui dicitur *φιλόπολις φιλόδημος, δημοτικός*, opponit *ὑπερόπτην ὑπερήφανον, τυραννικόν, ὀλιγαρχικόν*. Idem VI, 129—138 *τὸν θορυβοῦντα τὸ δημόσιον* describit ita ut agnoscas fere Theophrasti *ἀπονενοημένον*. Quae si Peripateticorum doctrinae adaptamus vides quam apte *φιλόδημον* et *δημοτικόν* medios si ponamus eis ex altera parte *ὑπερήφανος* et *ὀλίγαρχος*, ex altera *φιλοπόνηρος* et *ἀπονενοημένος* opponi possint. Itaque Theophrasti *ὀλίγαρχος* non prodit in publicum nisi *τὸ ἱμάτιον ἀναβεβλημένος καὶ μέσην κουρὰν κεκαρμένος καὶ ἀκριβῶς ἀπωνυχισμένος* cum *ἀπονενοημένος* ille *ἀνασεσυρμένος* sit *ἀμέλει δύνατος καὶ ὀρχεῖσθαι νήφων τὸν κόρδακα* cet. Oligarchus de se suisque dicit amicis *ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἡμᾶς ... ἐκ τοῦ ὄχλου καὶ τῆς ἀγορᾶς ἀπαλλαγῆναι*. Contra vecors ille suavissimam cum plebe habet sodalitatem *ἱκανὸς πολλῶν ἀγοραίων στρατηγεῖν* cum oligarchus *αἰσχύνεται ὅταν παρακάθη-*

ταί τις αὐτῷ λεπτὸς καὶ αὐχμῶν, atque qualis denique est ἀπονενοημένος tales acerbissime odisse se profitetur oligarchus.

Inliberalitati autem ab Aristotele iam et Eudemo adnumerari μικρολογίαν et αἰσχροκέρδειαν supra vidimus. Porro λαλιά et λογοποιία (nisi hanc ad ἀλαζονείαν propius accedere putas) tam facile ἀδολεσχίᾳ annecti possunt, quam ματαιοπονίᾳ quae ex altera parte opposita est φιλοπονία, περιεργία et ὀψιμαθία, quod vel ipsa quae huic praefixa est, definitione arguitur qua φιλοπονία ὑπὲρ τὸν καιρόν dicitur ὀψιμαθία.

Quae relicuae sunt ἀκαιρία, μεμψιμοιρία, ἀπιστία, δυςχέρεια, ἀηδία, μικροφιλοτιμία, κακολογία omnes fere ad ἐντυχίας adtinentes, nolo eis certum locum statuere, ne argutius rem meam egisse videar. Hoc unum moneo et ἀκαιρίαν, ἀηδίαν, δυςχέρειαν, de quibus recte iudicavit Zellius opusc. p. 47 (comm. II p. 22) et μεμψιμοιρίαν, ἀπιστίαν, κακολογίαν coniunctas fuisse videri; atque ad μικροφιλοτιμίαν quod adtinet memineris Aristotelem in Nicomacheis μεγαλοψυχίᾳ aliam adiunxisse virtutem ἀνώνυμον cui altera ex parte φιλότιμον, ex altera ἄσωτον opponeret, simulque quam sit veri dissimile reputes, quae ab Aristotele inventa essent praetermisisse Theophrastum, et in ea quidem moralis doctrinae parte, cui maxime operam dedisse videbatur.

Hac igitur remota dubitatione alia statim subnascitur, num operi philosophico apte insertae fuissent tales descriptiones, quas dicunt mimicas, et ego dico quamvis non eodem quo Astius et Hottingerus sensu. Certe nihil voluit Theophrastus nisi summa cum veritate, quod uniuscuiusque vitii proprium esse videret, in unam hominis ficti imaginem conferre, qui omnium instar esset hominum eidem vitio obnoxiorum. Illum autem hominem vel illos homines, ut maiorem sibi fidem scriptor vindicaret, velut praesentes ante oculos nobis posuit agentes, loquentes. Quod

autem risum saepius fere movet quam indignationem, id rei partim, partim Theophrasti natura factum est. Rei, quod quidem maximam partem talia illa sunt vitia, qualia ipsis vitiosis potius, quam ceteris hominibus noxias parent et incommoditates. Quod ne ex mea sententia dixisse videar Aristotelis quaedam testimonia adponam. Qui Nicom. IV, 13 de ironia haec dicit *οἱ δ' εἴρωνες ἐπὶ τὸ ἔλαττον λέγοντες χαριέστεροι μὲν τὰ ἤθη φαίνονται*, ibid. de eo qui contrario vitio peccet *ἀλαζών, μάταιος δὲ μᾶλλον φαίνεται ἢ κακός*, lib. IV, 9 de vanis hominibus *οἱ δὲ χαῦνοι ἠλίθιοι καὶ ἑαυτοὺς ἀγνοοῦντες καὶ τοῦτ' ἐπιφανῶς*, ib. de contrariis, qui audiunt *μικρόψυχοι* talia *οὐ μὴν ἠλίθιοί γε οἱ τοιοῦτοι δοκοῦσιν εἶναι ἀλλὰ μᾶλλον ὀκνηροί.*

Quae simillima sunt eis quae de Theophrasteis vitiis Hottingerus et Astius disputarunt, quamquam hic propter ipsam illam naturam ab ethici argumenti scripto aliena ea iudicavit. Vnum praeterea Aristotelis locum adfero, quia cum Theophrasto apte conparari potest. Postquam enim de vitiis *μεγαλοπρεπείᾳ* oppositis (*βαναυσία* et *μικροπρέπεια*) disseruit Aristoteles addit haec Nicom. IV, 6 p. 1123 A, 31 *εἰσὶ μὲν αἱ ἕξεις αὗται κακίαι, οὐ μὴν ὀνείδη γ' ἐπιφέρουσι διὰ τὸ μήτε βλαβεραὶ τῷ πέλας εἶναι μήτε λίαν ἀσχήμονες.* Similiter Theophrastus initio c. XX definivit *ἀηδίαν* hisce *ἔστι .... ἔντευξις λύπης ποιητικὴ ἄνευ βλάβης.*

Theophrasto autem summa observandi et imitandi facultas erat cum ea mentis indole coniuncta quam nos dicimus 'Humor,' risum cum misericordia coniunctum. Atque talem fere Hermippi monstrat narratio ab Athenaeo servata *Ἕρμιππος δέ φησι Θεόφραστον παραγίνεσθαι εἰς τὸν περίπατον καθ' ὥραν λαμπρὸν καὶ ἐξησκεμμένον, εἶτα καθίσαντα διατίθεσθαι τὸν λόγον οὐδεμιᾶς ἀπεχόμενον κινήσεως οὐδὲ σχήματος ἑνός· καί ποτε ὀψοφάγον μιμούμενον ἐξείραντα τὴν γλῶσσαν περιλείχειν τὰ χείλη.* Quae si vera est arguit eam quam dixi morum

observandorum nec non notandorum peritiam non minus quam amorem Theophrasti, quippe qui ne seriis talia intermiscere veritus sit. Atque conicere possis, cum ipsam moralem doctrinam praeciperet illo gestu usum eum esse, siquidem non dissimilia sunt quae ad *ἀκολασίαν* inlustrandam narravit Aristoteles Nicom. III, 13 *διὸ καὶ ηὔξατό τις ὀψοφάγος ὢν τὸν φάρυγγα μακρότερον γεράνου γενέσθαι.* Contra si ficta est narratiuncula, sive ab Hermippo sive ab alio nescio quo Peripateticorum, quae quidem inveniendi gens erat sollertissima, non poterat ad aliam rem aptius ficta esse quam ad descriptiones illas morali operi insertas.

Atque congruit hoc cum universa Peripateticorum philosophandi ratione. Aristoteles enim omnes fere res ingenio suo ita conplexus est, ut e multis singulis, quod eis commune esset et universum construere conaretur, singula autem argumenta aut omitteret aut seiuncta colligeret. Discipuli autem cum conprehendendarum omnium rerum facultate minus pollerent, quam congerendarum, nec ad fastigium illud penetrare possent, in eo potissimum operam suam collocarunt, ut singula colligerent, atque quas ille coacervasset copias augerent et amplificarent, aut novas prorsus conderent.

Talia ad moralem doctrinam inlustrandam argumenta aut ex historia peti poterant, aut e vita quotidiana. Atque ex historia tales facile homines, taliaque facta exempla proponi poterant, quae cum omnibus nota essent quamcunque sententiam inlustrare possent et demonstrare. Quae ratio gravioribus moralis doctrinae quaestionibus aptior esse videtur. Qua usum fuisse Theophrastum ethicorum illius fragmentum docet servatum a Plutarcho Pericl. 38. Ei autem parti quae de ipsis moribus est et virtutibus et vitiis altera aptior videtur, quod in ipsa vita quotidiana ea versatur, atque magis universa esse vide-

tur. Fuisse tamen ubi hic quoque ex historia exempla peteret Theophrastus Simonidis mentio docet.

In eis quidem libris quibus singulas partes sive singula vitia tractaret non poterat non ex historia exempla sumere velut quod scimus in libro *περὶ κολακείας* fecisse ex Athenaeo VI, 254 D *Θεόφραστος δ' ἐν τῷ περὶ κολακείας φησὶν ὡς Μύρτις ὁ Ἀργεῖος Κλεώνυμον τὸν χορεύτην ἅμα καὶ κόλακα προςκαθίζοντα πολλάκις αὐτῷ καὶ τοῖς συνδικάζουσι, βουλόμενον δὲ καὶ μετὰ τῶν κατὰ τὴν πόλιν ἐνδόξων ὁρᾶσθαι.* Quocum ubi quod in *ἀρέσκῳ* c. V notavit Theophrastus conparaveris *τοῦ δὲ θεάτρου καθῆσθαι ὅταν ᾖ θέα πλησίον τῶν στρατήγων,* adulationem videbis in illo libello minus adcurate definitam esse, sed propinqua ibi Theophrastum admiscuisse, eo ipso fortasse coactum quod difficile erat ea ex historia colligere exempla, in quibus minutissima illa discrimina cernerentur. Itaque et hoc in causa fuit cur universam doctrinam moralem conplectens ipse sibi fingeret exempla, sed ad vitae quotidianae veritatem expressa. Quae omnia ne ad meam opinionem conformasse videar, iam conparatio instituenda erit inter descriptiones Theophrasteas et ea quae de singulis vitiis in Nicomacheis praecepit Aristoteles. Quam quaestionem adtigit Zellius, sed adtigit tantum. Satis enim ille habuit definitiones singulis descriptionibus praepositas cum eis conferre quas eorundem vitiorum dedit Aristoteles, quo in negotio perficiendo singula vitia a Theophrasto inlustrata ad Aristotelis praecepta distribuere conatus est et dividere. Quod quam adcurate egerit ex eo cognoscas, quod p. 58 (comm. II p. 31) *ἀναισθησίαν* dicit ad nullam Aristotelis mediocritatem referri posse, cum tamen disertis ille verbis Nicom. II, 7 temperantiae (*σωφροσύνῃ*) ab altera parte oppositam voluerit *ἀναισθησίαν.*

Neque de definitionibus satis caute ille iudicavit, et tribuit Theophrasto, quae aut librario neglegenti aut inepto illi interpolatori, nullo autem modo Theophrasto inputari

debent. Aut quid tu censes de illo qui cum eam quae *ἀκαιρίας* datur c. XII nihil differre diceret ab ea quae praecedit *ἀηδίαν* c. XX ita iudicavit p. 49 (comm. II p. 23) 'neque tamen in hac re epitomatorem deprehenderim; in hoc enim non minus quam in *κόλακος* charactere, quod supra monui vocabulum ipsam tam certam et apertam prae se fert significationem, ut plane adcurata definitione, quales omnino huius libelli ratio non exigit eo citius scriptor noster supersedere potuerit?' Bella excusatio! Cum adcurata non opus esset definitione contentum fuisse Theophrastum dare ineptam. Vel ut aliud exemplum adferam, quid excogitari poterat infelicius quam quod idem Zellius p. 40 (comm. II p. 14) externa definitionum similitudine deceptus *περιεργίαν* c. XIII eiusdem generis esse statuit cuius *εἰρωνείαν* c. I.

Id tamen negari nequit definitiones Theophrasteis notationibus praefixas maximam partem similes esse Aristoteleis, nec illum magis quam hunc, ut arctissimis unamquamque notionem finibus circumscriberet, persecutum esse. Quantum autem ad Theophrastum adtinet non minus certum est interpolatorem illum sive epitomatorem dicere mavis, cum in prioribus capitibus paullo diligentior esset describendis sive excerpendis, postea remisisse industriam ut c. XII et XV daret manca, in aliis perversa, velut c. XIII, XVII, XXII, XXIII, XXVI, XXVIII, XXIX, XXX quae sunt inprobanda cave ne librariis citius tribuas. Vnde et lex consequitur quae corrigere vetat talia maxime verba velut *προςποίησις* alia.

Quae definitionum conparatio a Zellio instituta ut non est inutilis, et alteram characterum partem talem esse declarat, qualis ad opus Nicomacheis simile apte referatur, maioris tamen momenti est quaerere annon, quae ipsis descriptionibus similia sint, inveniri queant apud Aristotelem. Quae non desunt. Quamquam enim de singulis sive vitiis sive virtutibus disserens eam plerumque rationem

sequitur, ut causas earum et origines et naturas in universum exponat, atque de ipso vitio magis quam vitiosis agat, interdum tamen singula perstrinxit, et ex historia, et e vita quotidiana, et ex animalium natura, et e mythologia ad sententias suas inlustrandas exempla commodans, atque de animalibus quidem non in hoc tantum sed in aliis quoque diversi generis scriptis, ibi potissimum ubi de adfectuum vi atque natura agit, quippe quod in animalibus puros nec ulli cogitandi inperio obnoxios observare licet adfectus (cf. Nicom. III, 13 p. 1118 A, 18. III, 11 p. 1116 B, 25 et 32).

Ex historia autem ea sunt petita quae de Simonidis avaritia dicta sunt IV, 2, de pugna ad Hermaeum III, 11, vel de Lacedaemoniis IV, 8, vel de Celtarum stupiditate III, 10, vel de Argivis III, 11, vel de antiquae novaeque comoediae in iocando discrimine IV, 14.

Quae propius ad Theophrasti rationem accedant haec habes de fortibus et audacibus *καὶ οἱ μὲν θρασεῖς προπετεῖς πρὸ τῶν κινδύνων ἐν αὐτοῖς δ' ἀφίστανται, οἱ δ' ἀνδρεῖοι ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς πρότερον δ' ἥσυχοι* III, 11. Similia de fortitudinis causis agens addit ibidem, *οἱ στρατιῶται δὲ δειλοὶ γίνονται ὅταν ὑπερτείνῃ ὁ κίνδυνος, καὶ λείπωνται τοῖς πλήθεσι καὶ ταῖς παρασκευαῖς· πρῶτοι γὰρ φεύγουσιν.* Cum ipso Theophrasto conferas quae de occasionibus disseruit, in quibus a forti dignosci possit ignavus III, 9 *τοιαῦτα δὲ μάλιστα τὰ κατὰ πόλεμον οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν θαλάττῃ .... ἀδεὴς ὁ ἀνδρεῖος.* Quem enim Theophrastus descripsit ignavum, eum navigantem primum, deinde militantem conspicimus. Atque militans quidem ea fere gerit, quae ignaviae propria esse dixit Aristoteles III, 15 *ταῦτα δὲ διὰ λύπην ἐξίστησιν ὥστε καὶ τὰ ὅπλα ῥίπτειν καὶ τἆλλα ἀσχημονεῖν.* Similis Theophrasteae rationi locus est III, 13, qui una quantum differat Aristoteles ostendat. Ibi enim quales intemperantes recte dicantur hisce exponit *τοὺς γὰρ χαίροντας μήλων ἢ ῥό-*

δων ἢ θυμιαμάτων ὀσμαῖς οὐ λέγομεν ἀκολάστους ἀλλὰ μᾶλλον τοὺς μύρων καὶ ὄψων. Tum statim cur his gaudeant exponit. Quod ibidem de vorace narrat homine supra a me citatum id fere non magis universum est quam Theophrastea. Quod in rustico suo Theophrastus denotavit *καὶ τὸ μύρον φάσκειν οὐδὲν τοῦ θύμου ἥδιον ὄζειν* id universe de stupido (*ἀναίσθητος*) dixit Aristoteles III, 14 *εἰ δέ τῳ μηδέν ἐστιν ἡδύ, μηδὲ διαφέρει ἕτερον ἑτέρου.* Similia de prodigo IV, 2, de inliberalibus ib. dicta invenies.

Simillima autem Theophrasteis in magnifici et magnanimi, quas dedit Aristoteles, descriptionibus extant. Primum quibus ostendatur magnificentia demonstrans IV, 5 scripsit haec *ἔστι δὲ τῶν δαπανημάτων οἷα λέγομεν τὰ τίμια, οἷον τὰ περὶ θεοὺς ἀναθήματα* (Theophr. XXII *νικήσας τραγῳδοὺς ταινίαν ξυλίνην ἀναθεῖναι* de inliberali) *καὶ κατασκευαὶ καὶ θυσίαι* (Th. *μικρολόγος* X *ἀπάρχεσθαι ἐλάχιστον τῇ Ἀρτέμιδι τῶν συνδειπνούντων*) *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ πᾶν τὸ δαιμόνιον καὶ ὅσα πρὸς τὸ κοινὸν εὐφιλοτίμητά ἐστιν, οἷον εἴ που χορηγεῖν οἴονται δεῖν λαμπρῶς ἢ τριηραρχεῖν ἢ καὶ ἑστιᾶν τὴν πόλιν* (Th. XXII inlib. *καὶ τριηραρχῶν τὰ τοῦ κυβερνήτου στρώματα* cet., *μικρολόγος* X *καὶ ἑστιῶν τοὺς δημότας μικρὰ τὰ κρέα κόψας παραθεῖναι*, cf. XXX *καὶ ἑστιῶν φράτορας* cet.) *τῶν δε ἰδίων* (*δαπανήματα ἐντιμότατά ἐστιν*) *ὅσα εἰσάπαξ γίνεται, οἷον γάμος καὶ εἴ τι τοιοῦτον* (Th. XXII *καὶ ἐκδιδοὺς αὐτοῦ θυγατέρα τοῦ μὲν ἱερείου πλὴν τῶν μηρίων τὰ κρέα ἀποδόσθαι* cet.) *καὶ εἰ περί τι πᾶσα ἡ πόλις σπουδάζει, ἢ οἱ ἐν ἀξιώματι, καὶ περὶ ξένων δὲ ὑποδοχάς* (Th. inpudens IX *καὶ ξένοις δὲ αὐτοῦ θέαν ἀγοράσας μὴ δοὺς τὸ μέρος θεωρεῖν*) *καὶ ἀποστολάς* (Th. XXX *αἰσχροκέρδ. καὶ ἀποδημῶν δημοσίᾳ τὸ μὲν ἐκ τῆς πόλεως ἐφόδιον οἴκοι καταλιπεῖν, παρὰ δὲ τῶν συμπρεσβευτῶν δανείζεσθαι,*) ...... *μεγαλοπρεποῦς δὲ καὶ τὸν οἶκον κατασκευάσασθαι πρεπόντως τῷ πλούτῳ*

(Th. X *οἷος ἐν τῷ μηνὶ ἡμιοβόλιον δαπανᾶν εἰς τὴν οἰκίαν*, siquidem recte conieci).

Similiter porro qui excedit magnificentiam *βάναυσος* vocatus ab Aristotele, ib. describitur *ἐν γὰρ τοῖς μικροῖς τῶν δαπανημάτων πολλὰ ἀναλίσκει, καὶ λαμπρύνεται παρὰ μέλος, οἷον ἐρανιστὰς γαμικῶς ἑστιῶν καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν ἐν τῇ παρόδῳ πορφύραν εἰςφέρειν* cet.

Omnium denique simillima est non brevis illa magnanimi descriptio IV, 8, nec rebus tantum sed adeo scribendi genere. Eam igitur quantum ad rem facere putabam transcripsi *ὁ δὲ μεγαλόψυχος δικαίως καταφρονεῖ, καὶ οἷος εὖ ποιεῖν, εὐεργετούμενος δὲ αἰσχύνεται, δοκοῦσι δὲ καὶ μνημονεύειν οὓς ἂν ποιήσωσιν εὖ ὧν δ' ἂν πάθωσιν οὔ ..... μεγαλοψύχου δὲ καὶ τὸ μηθενὸς δεῖσθαι ἢ μόγις, ὑπηρετεῖν δὲ προθύμως, καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἐν ἀξιώματι καὶ εὐτυχίαις μέγαν εἶναι πρὸς δὲ τοὺς μέσους μέτριον ..... καὶ εἰς τὰ ἔντιμα μὴ ἰέναι, ἢ οὗ πρωτεύουσιν ἄλλοι, καὶ ἀργὸν εἶναι καὶ μελλητὴν ἀλλ' ἢ ὅπου τιμὴ μεγάλη ἢ ἔργον, καὶ ὀλίγων μὲν πρακτικὸν μεγάλων δὲ καὶ ὀνομαστῶν, ἀναγκαῖον δὲ καὶ φανερόμισον εἶναι καὶ φανερόφιλον .... καὶ λέγειν καὶ πράττειν φανερῶς .... εἴρωνα δὲ πρὸς τοὺς πολλοὺς ... οὐδὲ θαυμαστικὸς .... οὐδὲ μνησικακὸς ... οὐδ' ἀνθρωπολόγος .... οὐδ' ἂν ἐπαινετικός ἐστιν διόπερ οὐδὲ κακολόγος οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν εἰ μὴ δι' ὕβριν, καὶ οἷος κεκτῆσθαι μᾶλλον τὰ καλὰ καὶ ἄκαρπα τῶν καρπίμων καὶ ὠφελίμων· αὐτάρκους γὰρ μᾶλλον· καὶ κίνησις δὲ βραδεῖα τοῦ μ. δοκεῖ εἶναι, καὶ φωνὴ βαρεῖα, καὶ λέξις στάσιμος, ... τοιοῦτος μὲν οὖν ὁ μεγαλόψυχος.* Quae minimo tantum a Theophrasteis spatio distant, atque ea sunt e quibus, Theophrasti ingenium si reputaveris non poterat non illud describendi genus procreari.

Invida fortuna factum est ut quattuor tantum relicui nunc sint characteres, qui si e libris *περὶ ἠθῶν* revera ex-

cerpti sunt, oppositi esse debent *εἰρωνείας* et *ἀλαζονείας* deinde *ἀρεσκείας* et *αὐθαδείας*. Quod iam examinaturi a priore pari incipiemus.

Atque de ostentatore nulla potest esse dubitatio, qualis ille sit, gloriatur enim bonis, quae non habet estque ut Aristoteles dicit *μάταιος* revera. Neque sunt quae non congruant cum definitione, cuius, quamquam *προςδοκία τις* videtur ab excerptore male dictum, perspicua tamen sententia simillima ei quam eiusdem vitii dedit Aristoteles Nicom. IV, 3 *δοκεῖ δὴ ὁ μὲν ἀλαζὼν προςποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων ἢ ὑπαρχόντων*. Quocum minime pugnat quod Theophrasteus eis quoque gloriatur opibus, quas amiserit. Eo ipso enim ingentem suam mercaturam patefacit.

De illo autem quantus est consensus tantus de dissimulatore dissensus, quem ab eo inde qui epilogum huic capiti adiecit nemo fere recte intellexit. Plerique enim Casaubono adstipulati sunt, qui duplicem *εἰρωνείας* notionem statuens de altero sic loquitur 'alias enim *εἴρωνα* eum vocant Graeci, qui ita sit factus ut de se semper intra modum loquens potius sibi ea bona detrahat, quibus est praeditus, quam alieni quicquam tribuat. Talis olim Socrates fuit,' de altera sic 'alias vero non cum laude haec vox dicitur sed summo potius cum probro, de eo enim usurpatur, qui simulare et dissimulare quidvis didicit, non per iocum, nec modestia ulla sed sui commodi causa et ut alteri incommodet.' Hanc alteram Theophrastum c. I designasse contendit illam Aristotelem in Nicomacheis[1]).

1) Hanc fere Sauppius quoque in adnot. ad Philod. lib. X p. 30 secutus videtur sententiam. Qui quod praeterea inter Philodemum sive Aristonem et Aristotelem discrimen intercedere statuit, Aristotelem scilicet *ἀλαζόνα* et *εἴρωνα* opposuisse sibi invicem, Philodemum contra speciem iudicasse quam prae se ferre amarent superbi, id non recte fecit. Nam idem et ab Aristotele obser-

Quae si recte iudicavit, evanescere videtur oppositio. At definitionem si spectas priori, quod dixit Casaubonus generi magis apta sit, ut voluisse saltem illud notare videatur. Quod autem Socratem alterum genus exercuisse dicit, non nego, at cum Theophrasteus *εἴρων* simillimus sit Aristonis apud Philodemum, Aristonem autem de Socrate cogitasse vel eo adparet quod suum ita loquentem facit *ἐγὼ γὰρ οἶδα τί παρὲξ τούτου ὅτι οὐδὲν οἶδα*, neque hac ex parte de Theophrasteo bene iudicasse videtur. Neque porro simulatorem quo iure dicat video. Omnes enim ad dissimulationem notae redeunt praeter unam *καὶ μὴ πωλῶν φήσει πωλεῖν*, quae cum *ἀλαζόνος* potius esset quam *εἴρωνος*, propter id ipsum suspecta erat habenda. Corruptela autem vel eo aperta redditur, quod proxima nemo dum intellexit *καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ ἐρανίζοντας ὡς οὐ πωλεῖ.* Perperam de lacuna cogitarunt interpretes. Haud dubie enim quae sequuntur ita sunt rescribenda *καὶ μὴ πωλεῖν φήσει πωλῶν*, quae nulla fere mutatio est; pro eo autem quod praecedit *ὡς οὐ πωλεῖ*, ubi proximis in errorem deductus *πωλεῖν* legere sibi visus est librarius olim *ὡς οὐκ ἔχει*, nunc *ὡς αὐτῷ δεῖ*, utrumque dissimulatori satis aptum, hoc tamen ad litteras codicum propius accedens conieci.

Ex eo ipso autem loco maximam partem mala illa de dissimulatore nostro opinio fluxit. Etenim Casaubonus, ut causam tandem comminisceretur, cur vendere ille se simularet, haec narravit 'nempe ut eo pacto manum illi adeat, apud quem ista loquitur, itaque pecunia illum emungat, aut aliam fraudem faciat.' Vides quam infestus illi fuerit Casaubonus. Quod autem *ὁμολογήσας μὴ μεμνῆσθαι* Casaubonus interpretatus est pactis illum non stare,

---

vatum erat Nicom. IV, 13 de ironia disserente *ἐνίοτε ἀλαζονεία φαίνεται* et ib. IV, 8 quae de magnanimi erga multitudinem ironia dixit supra a me allata.

ut revera cum eis haece pugnarent, quae de dissimulatore Aristoteles praecepit *οὐ γὰρ περὶ τοῦ ἐν ταῖς ὁμολογίαις ἀληθεύοντος λέγομεν* Nicom. IV, 13, ea nec necessaria verborum Theophrasteorum interpretatio est, nec adeo similis veri, qua parvo interposito spatio bis tam diversa notione *ὁμολογεῖν* verbum usurpasse Theophrastum statuit. Videntur autem in hanc opinionem deducti esse interpretes ipsa Theophrasti definitione, qua *προςποίησις ἐπὶ χεῖρον* describitur *εἰρωνεία*. Eam Casaubonus ita interpretatur, ut anceps eius iudicium vituperes 'quia de eo loquebatur (Th.) qui non deteriora tantum sua fingeret, sed omnia etiam ad malum aliquem finem' (de quo nihil in ipsius Theophrasti verbis invenias) 'referret'. Neque enim utrumque verum esse potest. Itaque Zellius secundam probavit, ut ironiam intellegeret male institutam, vitiosam. Attamen *ἐπὶ χεῖρον* prorsus idem esse quod Aristotelis *ἐπὶ τὸ ἔλαττον* id optime docet Eudemus, qui cum priore loco II, 3 dixisset, *εἴρων δὲ ὁ ἐλάττω* (*προςποιούμενος*) altero eundem ita descripsit *ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ τὰ χείρω καθ' αὑτοῦ ψευδόμενος μὴ ἀγνοῶν εἴρων*. III, 7. Atque cum non *ἐπὶ τὸ ἔλαττον* sed *ἐπὶ τὸ χεῖρον* diceret Theophrastus, manifestiorem adeo oppositionem reddidit *εἴρωνα* inter et *ἀλαζόνα*, qui *ἀγαθὰ οὐκ ὄντα προςποιεῖται ἑαυτῷ εἶναι*. Ita igitur vitia descripta sunt ut optime in libris *περὶ ἠθῶν* locum tenere potuerint.

Maiores alterum vitiorum par procreavit errores. Etenim cum Eudemus quoque *αὐθάδειαν* et *ἀρέσκειαν σεμνότητι* utrimque opposuisset, et Theophrastum ita opposuisse Stobaeus testaretur, non recte egerunt interpretes, cum Aristotelis praeceptis haec adaptare studerent, qui *κολακείαν* et *ἀρέσκειαν* propinquas esse docens utramque altera ex parte *φιλίᾳ* opposuit. Hinc Casauboni ceterorumque tantum non omnium error natus. Casaubonus enim cum in altera c. V parte inde a verbis *καὶ πλειστάκις δὲ ἀποκείρασθαι* nihil inveniret, quod ad blanditiam illam

φιλίᾳ oppositam referret, sed ea quibus inepta quaedam virtutum imitatio elucesceret, quinti capitis finem et initium sexti quo *ἀπειροκαλίαν* sive *βαναυσίαν* describi censeret, intercidisse, deinde fragmenta duo in unum male coaluisse statuit, quod quam perversum sit supra demonstravi. Atque reputa quaeso mediam inter *αὐθάδειαν* et *ἀρέσκειαν* esse *σεμνότητα*, qua qui praeditus sit et aliis et sibi quod dignum sit tribuat, quique commode, placide, honeste, modeste cum aliis vivat. Contra *αὐθάδης* sibi uni placet, ut in Mag. morall. recte explicatur verbum et derivatur, atque ex eo dignitatem sibi fore credit, quod aliis parum comiter utatur; *ἄρεσκος* denique omnium sibi gratiam conciliare studet, iucundum omnibus suavemque se praebens et popularem. Hanc ob causam nimius est in salutando admirandoque, hanc ob rem hospitum supra civium laudat sermones, hanc ob rem ad cenam vocatus cum infantibus ludit hospitis. Idem et externa specie se insinuaturus omnium favori, et crinibus condendis et dentibus colluendis, et vestibus tam deligendis quam colligendis egregiam navat operam. Aut aliis multa donat, aut ipse talia sibi parat, quae gaudio sint aliis et oblectamento. Atque in verbis *τῶν δὲ γυμνασίων ἐν τούτοις διατρίβειν, οὗ ἂν ἔφηβοι γυμνάζωνται*, ut *σεμνότητος* studium agnoscas, apte conferri potest, quod ab Aeschine nescio cui crimini datum esse Pollux narravit IX, 42 *καὶ σεμνυνόμενον ἐν τῇ τῶν μειρακίων διατριβῇ*. Prorsus contrarius is est, qui c. XV *αὐθάδης* depingitur. *Ἄρεσκος* ut procul iam salutat nec finem facit laudandi, ita *αὐθάδης* nec interrogatus respondet, nec salutatus reddit salutem. Ille dona mittit omnibus, hic nec dat aliis, nisi invitus, nec accipit, quae offerantur ab aliis. Ille erga infantes adeo comis est, ut molestias quoque ab illis subeat paratas, hic si quis forte pulsaverit invitus, vel presserit, nunquam desinet irasci atque lapidem adeo execratur ad quem pedem illiserit. Ille ludit cum infantibus, hic ne cum

suae quidem aetatis hominibus iocari sustinet. E quibus satis elucere puto consulto alteram alteri Theophrastum opposuisse descriptionem.

Nunc iam externa argumenta colligam paucissima quidem sed quae non nihil valeant. Mag. moralium auctorem in ea quae de vitiis est et virtutibus adornanda parte Theophrasti *περὶ ἠθῶν* libris potissimum usum esse supra demonstravi. Itaque si quaedam illi nec cum Aristotele nec cum Eudemo sed cum solis Theophrasti decriptionibus communia esse demonstrari possit, gravissimum id sententiae meae de excerptis descriptionibus prolatae documentum fore credo. Atque quamvis tam exilia sint Mag. moralia, ut nihil fere praeter nomina dent brevesque definitiones et Aristoteleis similes et Theophrasteis pauca tamen extant eiusmodi, quae cum Theophrasteis conpares.

Primum ipsum *μικρολογίας* nomen quod c. X descripsit Theophrastus in Mag. mor. I, 25 habes inter relicuas inliberalitatis species *ἔστι δὲ καὶ τῆς ἀνελευθεριότητος εἴδη πλείω οἷον κίμβικάς τινας καλοῦμεν καὶ κυμινοπρίστας καὶ αἰσχροκερδεῖς καὶ μικρολόγους* cum Aristotelis Nicom. IV, 3 nec non Eudemus III, 4 eius loco nominent *φειδωλόν*, id quod Theophrastus in definitione c. X servavit *ἡ δὲ μικρολογία ἐστὶ φειδωλία τοῦ διαφόρου ὑπὲρ τὸν καιρόν.*

Deinde, quibus in Mag. mor. I, 33 depingitur dissimulator, *ὁ δ' εἴρων ἐναντίος τούτῳ καὶ ἐλάττω τῶν ὑπαρχόντων προςποιούμενος αὑτῷ εἶναι, καὶ ἃ οἶδε μὴ φάσκων ἀλλ' ἐπικρυπτόμενος τὸ εἰδέναι* aperte respondent eis quae c. I Th. dicit de tali homine *καὶ ἀκούσας τι μὴ προςποιεῖσθαι, καὶ ἰδὼν φήσει μὴ ἑωρακέναι.*

Tertium denique, idque maioris momenti, *αὐθάδους* descriptio est brevissima a Mag. mor. auctore servata I c. 29 *ὅ τε γὰρ αὐθάδης τοιοῦτός ἐστιν, οἷος μηθενὶ ἐντυχεῖν μήτε διαλεγῆναι.* Quibuscum conferenda sunt haec Theophrasti verba c. XV *ὁ δὲ αὐθάδης*

τοιοῦτός τις, οἷος ἐρωτηθεὶς ὁ δεῖνα ποῦ ἐστιν; εἰπεῖν πράγματά μοι μὴ πάρεχε· καὶ προςαγορευθεὶς μὴ ἀντιπροςειπεῖν.

Hinc iam ad ultimam huius quaestionis partem transeamus, deque scribendi genere quid sit iudicandum videamus. Eo enim non minus inusitato, quam ipsae descriptiones haud leviter moti videntur viri docti, ut de excerptis cogitarent. Vnum nomino Sauppium, qui, quae in prolegomenis saepius iam laudatis p. 8 dixit, transcribere liceat 'nam quamvis illas notationes plenas mendarum omnis generis esse et nitorem pristinum additamentis, lacunis, mutationibus et interpolationibus plurimis obscurari statueris, tamen per triginta descriptiones unam eandemque orationis formam retentam, plerasque singulis verborum comprehensionibus inclusas, impeditissimum illud genus infinitivorum ex vocabulo, quod est *οἷος*, suspensorum, neque ulla arte accumulatorum, ad taedium usque repetitum esse ab eo scriptore, qui a divina oris dulcedine nomen invenerit, credi nullo pacto poterit.' Quam de excerptis descriptionibus prolatam suspitionem cum argumentis firmaverimus, facillimum videatur scribendi genus tam graviter vituperatum epitomatori tribuere.

Ego primum, quod fabula illa, qua propter loquendi dulcedinem Theophrastus Euphrastus primum pro Tyrtamo deinde Theophrastus nominatus fuisse traditur, quamque non magis veram esse censeo quam similem de Platonis nomine quam accepimus, quod inquam fabula illa scribendi genus, quod in characteribus conspicitur, a Theophrasto depellere studuerunt semper miratus sum. Quidni ad ea quae relicua sunt Theophrasti scripta potius, quam ad sermonis loquendique suavitatem provocarunt? Puto quod non adeo dissimilia erant scripta, praesertim ad brevia quantum adtinet enunciata. Atque quasi qui loquatur dulce, iocunde scribere eum consequatur.

Porro ut concedamus Sauppio singulari libello qualem

has Astius descriptiones fuisse sibi persuaserat, ad artis leges conposito, tale parum aptum fuisse scribendi genus, atque simul hinc consequi concedamus non fuisse singularem libellum sed excerptas esse descriptiones, hoc certe non una inde sequetur, ne tum quidem ita scribere potuisse Theophrastum. Non recte ita concluditur. Nec hercle parvo spatio differt num totum illo modo librum ita conscripserit Th. an partes quamvis maiores alii libro insertas. Ipse Sauppius uno alterove capite toleraturus fuisse videtur, per triginta continuato taedium adferri sibi professus. At vereor ego ne simillimis in rebus enarrandis dictionis varietatem si cupidius sectatus esset Th. graviorem ab varietate, quam nunc a simplicitate vituperationem auditurus fuisset. Atque a Sauppio tantopere dissentio, ut cum non tam delectationi, quam veritati et perspicuitati utpote in opere philosophico studuerit Th., scribendi genere vix aptiore illum uti potuisse contendam. Singula uniuscuiusque vitiosi dicta et facta proponit, raro tantum rerum progressu coniuncta, atque ex his ut imaginem nobis vitiosi, vel vitii notionem conformemus adpetit. Tales autem descriptiones, quanto sint vividiores quantoque efficaciores omni orationis decore ornatuque abiecto, vel quam e Lycone Rutilius Lupus similem servavit descriptionem, si conparaveris, vel quae in rhetoricis ad Herennium IV, 50 extat, facili tu opera intelleges. Nec non a rhetoribus illud observatum est, ut ex Aphtonii progymnasmatis ed. Walz I p. 102 cognoscas. Qui sic praecipit *ἐργάσῃ δὲ τὴν ἠθοποιΐαν χαρακτῆρι σαφεῖ, συντόμῳ, ἀνθηρῷ, ἀπολύτῳ, ἀπηλλαγμένῳ πάσης πλοκῆς τε καὶ σχήματος.*

Quamobrem Aristoteles quoque in magnanimi enarratione, quae ad Theophrasteos proxime accedit, simillimo, ne dicam eodem genere scribendi usus est. Non enim est discrimen quod apud Theophrastum ab *οἷος* pendent genetivi, apud Aristotelem ab eo quod praemissum est *μεγα-*

λόψυχον δέ ἐστιν. Atque alia nonnulla eiusdem loquendi generis exempla ex Aristotele collecta Zellius conposuit p. 24 (comm. I p. 16) imo margine. Optime autem praeceptorem scribendo quoque secutum esse et imitatum Theophrastum eo ipso Mag. morall. loco demonstratur, quem propter rei similitudinem supra citavi, propter dictionis nunc in memoriam revoco. Parum igitur probabile est, ab epitomatore illo hanc Theophrasto obtrusam esse orationis formam. Cuius ultimum idque haud levissimi ponderis argumentum Aristonis quas Philodemi libro X de vitiis servavit descriptiones adferam. Qui cum ad Theophrasti exemplum apertissime suas conposuerit descriptiones, atque eodem scribendi genere usus sit, quod in Theophrasteis vituperant alii, alii laudant, quid est certius, quam non ab epitomatore illo, nisi Aristone antiquiorem fuisse censeas, sed ab ipso Theophrasto profectum esse. Singula quidem interdum mutasse illum et unum alterumve ex suo arbitrio conformasse enunciatum, minime nego.

Haec sunt, quae de origine characterum Theophrasteorum dicenda habeo. Miretur forte quispiam, quod nec Heraclidis Pontici nec Satyri Peripateticorum 'characterum' laudatorum illius a Diogene Laertio V, 88, huius ab Athenaeo IV, 108 C, ullam mentionem fecerim. Attamen Heraclidis liber qui potuerit a quibusdam in quaestionem vocari, non intellego. Refertur enim a Diogene, qui unus eius memoriam propagavit inter scripta grammatica medius inter *περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν ᾱ*, et *περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητικῶν ᾱ*, ut similis argumenti fuisse conicias ac Dionysiadis tragici poetae librum *χαρακτῆρες ἢ φιλοκωμῳδὸς ἐν ᾧ τοὺς χαρακτῆρας ἀπαγγέλλει τῶν ποιητῶν*, de quo cf. Meinike hist. crit. com. p. 12. Satyri libro nihil Theophrasteo lucis adfertur. Etiamsi enim huius librum singularem fuisse *χαρακτῆρες* inscriptum non nego, nihil inde de Theophrasto consequitur. A quonam excerptae sint descriptiones si quaeris, probabilis sive Duebneri sive Sinneri

(cf. Duebn. praef.) coniectura est de rhetore aliquo, probata ea a Sauppio l. l. p. 8. Commode enim observatum est omnes, quibus characteres Theophrastei contineantur, codices diversorum praeterea rhetorum, Hermogenis inter alios, scripta conplecti. Nec ineptum fuerit meminisse eorum, quae de fraudibus litterariis in lectionibus Atticis exposuit Luzacius. Vbi cum duplicem potissimum earum aetatem fuisse docuisset, alteram regnantibus Ptolemaeis, alteram secundo tertioque post Christum saeculo (p. 135); alterum genus maledicendi studio et calumniandi ludificandique lubidine procreatum dicens, de altero posteriori aetati proprio ita tradit ʻalia, quae frequenti usu figurarum, ac dicendi luminum adfectata sententiarum concinnitate sive — uno ut dicam verbo calamistri vestigiis, artificium recentiorum etiam rhetorum produntʼ (quae vides quam vel in prooemium vel in clausulas nonnullis capitibus annexas quadrent) ʻistiusmodi scripta ab Aristidis, Luciani vel Hermogenis aetate non longe remota videntur.ʼ Atque quod Polycli ascribentem libellum suum fecit Theophrastum, illius exemplum imitatus esse videtur, quicunque sub Theophrasti nomine *περὶ βασιλείας* librum Casandro ascripsit.

Secundo igitur tertiove aerae nostrae saeculo e libris *περὶ ἠθῶν* descriptiones excerpsisse videtur seu grammaticae studiosus seu rhetoricae, atque caput ne deesset prooemium, dein clausulas adiecisse, ut non sit mirum Diogenis tempore quod pro singulari libro haberi potuerit. Iam vero prooemii verba *ὑπέλαβον δεῖν συγγράψαι ἃ ἑκάτεροι αὐτῶν* (et probi et inprobi) *ἐπιτηδεύουσιν ἐν τῷ βίῳ* haud scio an ita sint explicanda, ut cum haec scriberet homuncio proborum non minus quam inproborum descriptiones excerpere vellet. Res tamen incertissima est, nec magni momenti.

Externam characterum Theophrasteorum originem ac fata, simul indolem libri Theophrastique in conponendis illis consilium postquam exposui restat ut, quomodo non

cum scriptis Theophrasti sed cum aetatis Theophrasteae studiis et indole 'saeculique illius genio' ut Heynii verbis utar cohaereant descriptiones illae, pro virium modo demonstrem.

Rectissime Heynius in dissertatione de genio saeculi Ptolemaeorum op. I p. 80 cum antiquiorum Graecorum praedicasset ingenium, his qui post medium saec. IV vixerunt curiositatem tribuit. Accedit alterum *φιλονεικία* (cf. Luzac. l. l. p. 100 sqq.) ut curiositas ingenio inferior ita haec quam *φιλοτιμία* longe peior. Hinc cum maxime philosophorum rixae ortae. Vt enim suam quisque sectam efferret, detrectarunt aliis, vituperandi obiurgandique materies ut esset, alii aliorum opiniones deformarunt, vel novas adeo et inauditas subposuerunt. Aemulatio autem et rivalitas ut proximae sunt curiositati, ita haec non minus quam illae fraudes progenuit, cum nova quisque proferre studeret. Quod in Aristoxeno olim reprehendit Proclus in Plat. Tim. 3 p. 192 *ὅτι οὐ πάνυ τὸ εἶδος ἀνὴρ ἐκεῖνος μουσικὸς, ἀλλ' ὅπως ἂν δόξῃ τι καινὸν λέγειν,* id unusquisque in relicuis quoque studium facile cognoscat. Quo cum in remotissima quaeque et obscurissima investiganda cogerentur, explicandi inveniendique audacia crescebat et levitas. Itaque internam praecipue rerum naturam externa forma atque specie ducibus indagare conabantur, omniumque rerum expiscari causas. Hinc proverbiorum ille et aenigmatum explicandorum solvendorum furor, qui innumera perditae sagacitatis monstra procreavit. Idem et mythorum fabulis explanandis (cf. Durid. Sam. fr. 19. Mueller fr. hist. Gr. II) et poetarum verbis interpretandis, et verborum denique etymologiis eruendis sectabantur (cf. Durid. fr. 25). Mirabiles supra modum narrationes propagare amabant, partim perverso quodam novarum rerum studio acti, partim quod, qui explicare amat difficultates, ea quoque narrare amat, quae nec ipse habet quomodo solvat, nec alios habituros sperat.

Vberrimam vero inquirendi materiem animantium, et animalium et hominum, praebuit natura. Quorum externas condiciones et historias perscrutati multo vagiorem quaerendi, divinandi, coniectandi, ludendi denique campum sibi aperuerunt internam eorum naturam, mentem, mores perspiciendos, difficiliorem quidem materiem, magis lubricam et rationi minus obnoxiam, at curiositati eo ipso aptiorem, iocundiorem.

Externam speciem cum interna forma coniunctam ita et cohaerentem, et alteram alteri respondentem existimarunt, ut alteram ducem sequerentur ad alteram cognoscendam, et alteram ut ex altera explicarent. Cuius rei exemplum habes physiognomonica Aristotelis, quod ex eis intellegas quae in libri initio leguntur *ὅτι αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι καὶ οὐκ εἰσὶν αὐταὶ καθ' ἑαυτάς, ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινησέων, τοῦτο δὲ δῆλον πάνυ γίνεται ἔν τε ταῖς μέθαις καὶ ἐν ταῖς ἀρρωστίαις ...... καὶ τοὐναντίον δὴ τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμπάσχον φανερὸν γίνεται περί τε τοὺς ἔρωτας καὶ τοὺς φόβους τε καὶ τὰς λύπας καὶ τὰς ἡδονάς· ἔτι δὲ ἐν τοῖς φύσει γενομένοις μᾶλλον ἄν τις συνίδοι ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς ἄλληλα σῶμά τε καὶ ψυχὴ συμφυῶς ὥστε τῶν πλείστων ἀλλήλοις αἴτια γίνεσθαι παθημάτων.*

In animi indolem et mores (den Charakter und das Charakteristische) inquirentes ea, quae propria illius saeculi fuit malignitas, factum est ut pravos potius quam rectos mores, malamque indolem cupidius quam bonam indagare studerent. Quod non in hominibus tantum sed in animalibus quoque fecisse eos luculentissimum documentum habemus Theophrasti fragmentum XV apud Schneiderum I p. 835 *περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν*, quo fuisse cognoscimus, qui de stellionum, cervorum, equorum, aliorum animalium invidia disputarent. Refutat ibidem ni-

miam illam Theophrastus curiositatem multa adparere dicens in eis quae ratione sint destituta, quorum ratio inveniri nequeat. Quaerebant nimirum talia tum homines docti οἷον διὰ τί ἡ ὄρνις ὅταν τέκῃ περιρρίπτει τὰ κάρφη· διὰ τί οἱ κύνες ἐπαιρόντες τὰ σκέλη προςουροῦσιν alia. Vnicuique autem generi animalium propriam tribuerunt indolem. Ita ab Aristotele in physiogn. κόρακες dicuntur ἀναιδεῖς p. 811 A, 35; ἀετοὶ μεγαλόψυχοι ib. 37; λύκοι ἐπίβουλοι ib. 17; κύνες φιλόθηροι 810 B, 5, φιλολοίδοροι 811 A, 27, δυςόργητοι ib. 30; βοῦς λάλοι καὶ μωρολόγοι 810 B, 16 (atque idem de ranis illic dicitur), νωθροί 811 B, 10, ῥάθυμοι 811 A, 29, πραεῖς B, 28; πίθηκοι κακοήθεις 810 B, 4, μωροί 811 A, 25, μικρόψυχοι 811 B, 9, κακοῦργοι 811 B, 23. Inter alia multa nullum tamen copiosius tractat quam leonem. Cuius externam formam postquam p. 809 B inde a versu 15 descripsit, ad animum transiens pergit ita τὰ δὲ περὶ τὴν ψυχὴν δοτικὸν καὶ ἐλεύθερον, μεγαλόψυχον καὶ φιλόνικον καὶ πραῢ καὶ δίκαιον καὶ φιλόστοργον πρὸς ὃ ἂν ὁμιλήσῃ.

Neque post Aristotelem simile animalium observandorum studium defuisse fragmenta quaedam docent Theophrasti et Clearchi apud Athenaeum XIII p. 606 C. et Duridis fr. 17, qui de animalium erga homines amore narrarunt.

Sed multo magis in hominum animis atque moribus investigandis et cognoscendis operam collocarunt illius aevi homines, Aristotelis praesertim successores, quique ab illius doctrina profecti sunt. Quod quomodo instituerint paucis exemplis demonstrabo.

Luzacius l. l. p. 242 de calumniis disputaturus, quas in Socratem fuderit Aristoxenus Peripateticus, secludendos ait ab hisce rumores esse ʻmaledicentiae quidem magis quam benevolentiae vel gratiae quadam velut aura afflatosʼ

propagatos eos ab Aristotele. Quo ea refert, quae de mago aliquo Athenas profecto teste Diogene Laertio II, 45 Aristoteles tradiderit et postea narraverit Cicero. Atque de eo consentio cum Luzacio, quod eundem Aristotelis magum esse credo, quem Cicero Zopyrum adpellavit. Sed quae uterque de eo narrat, quamquam videntur esse similia sunt tamen revera dissimillima. Diogenis haec sunt *φησὶ δ' Ἀριστοτέλης μάγον τινὰ ἐλθόντα ἐκ Συρίας εἰς Ἀθήνας τά τε ἄλλα καταγνῶναι τοῦ Σωκράτους, καὶ δὴ καὶ βίαιον ἔσεσθαι τὴν τελευτὴν αὐτῷ.* Quae e tertio Poeticae libro citata esse contendens Luzacius male interpretatus est Diogenis verba. Quid autem Cicero? De fato c. 5 haec dicit 'Socratem nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit et bardum, quod iugula concava non haberet, obstructas eas partes et obturatas esse dicebat, addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse.' Aristotelis magus fata, Ciceronis mores pernoscit e vultu, quod quidem satis diversum est. Illud autem ut ne nostris quidem temporibus tales desunt praestigiatores magi arte multo magis dignum. Iam cum ipsa illa Zopyri convicia prorsus eadem sint quae inter alia Aristoxenus culpaé dedit Socrati (Mueller fr. hist. II fr. 27) *ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ καὶ ἀκόλαστον εἰπών* ubi *ἀκόλαστον* quomodo sit intellegendum ex eiusdem Aristoxeni verbis (Mueller fr. 25) a Suida servatis cognoscas *σφοδρότερον δὲ περὶ τὰ ἀφροδίσια,* quae igitur cum ita sint conici queat Aristoxenum magi persona usum esse ut suarum calumniarum illum auctorem praetenderet similiter ut Spintharum testem finxisse videtur. Sed etiamsi mutatam illam narratiunculam ab Aristoxeno neges propter ea quae de risu Alcibiadis narrantur atque quae Diogenes tradidit cum eis quae Cicero coniungenda opineris hoc tamen non inprobabile esse videtur usum ea esse narratione

Aristoxenum, qua si fidem sibi paraturum se esse putavit apud suae aetatis homines probat eam quam dixi illorum hominum naturam.

Neutiquam constitisse eos in hoc quaerendi genere sed obscuriores quaestiones et difficiliores tractasse Clearchi Solensis fragmentum ex Erotico servatum ab Athenaeo (Mueller II fr. 39) docet, ubi variae eius quae proposita erat quaestionis *διὰ τί μετὰ χεῖρας ἄνθη καὶ μῆλα καὶ τὰ τοιαῦτα φέρομεν*, solutiones proferuntur ex amoris vi amantiumque indole petitae.

Neque porro in eo substiterunt ut e vultu corporisque habitu animum pernoscerent et mores sed rursus, quorum indoles et facta novissent formam atque staturam ignorarent, haec ad illa per coniecturam animo sibi informarent. Ita, ne Hercules quidem, qua fuisset statura, quo habitu, quo denique vultu ignorabant cf. Clem. Alex. Protr. I, 26 *Ἱερώνυμος δὲ ὁ φιλόσοφος καὶ τὴν σχέσιν αὐτοῦ ὑφηγεῖται τοῦ σώματος μικρόν, φριξότριχα, ῥωστικόν, Δικαίαρχος δὲ σχιζίαν, νευρώδη, μέλανα, γρυπόν, ὑποχαρυπόν, τετανότριχα*, quae licet Hieronymus ex arte plastica partim sumpserit, eadem tamen curiositas elucet[1]; Dicaearchus potius ad leonis similitudinem finxisse sibi videtur.

Quantopere curiositas illa stimularit ubicunque et in-

1) Quod artem plasticam hoc loco tetigi eodem pauca quaedam de hac monere liceat. Si quidem recte quae de animi corporisque conexione invaluerit tum opinio, cognovi, verisimillimum est et artem plasticam, studio illo haud exigue adfectam fuisse. Quod revera ita fuisse vel inde adparet quod eo ipso tempore poetarum, virorumque sapientium non recentiorum modo sed antiquissimorum etiam temporum effigies elaborare coeperunt (cf. Mueller Arch. 420 et Brunn Gesch. d. Gr. Künstler I p. 430). Neque quod omnino a dis ad heroes magis et homines artifices descenderunt inque eorum formas summa cum industria inquisiverunt, naturam ipsasque res magis secuti quam ex ingenio suo procreantes (cf. Winckelmann Gesch. d. K. X, I, 7 sq.), aliunde erit explicandum.

stigarit Peripateticos, quamque argute tales quaestiones quaesiverint et tractarint, eiusdem Dicaearchi fr. 33 (Mueller II) docetur, quod in commentariis de Homero scriptis locum habuisse Muellerus coniecit. Quae cum eis, quae exposui ut nil supra conveniant, tota liceat adponere *αἰτιᾶται ἐκ τῶν ἐπῶν τούτων Δικαίαρχος τὴν παρ' Ὁμήρῳ Πηνελόπην*

Ἡ δ' ὅτε δὴ μνηστῆρας ἀφίκετο δῖα γυναικῶν
... οὐδαμῶς γὰρ εὔτακτον εἶναί φησι τὴν Πενηλόπην πρῶτα μὲν ὅτι πρὸς τὴν θύραν τῆς αὐλῆς παραγίνεται νεανίσκοις· ἔπειτα τῷ κρηδέμνῳ τὰ κάλλιστα μέρη τοῦ προσώπου καλύψασα τοὺς ὀφθαλμοὺς μόνους ἀπολείπει θεωρεῖσθαι· περίεργος γὰρ ἡ τοιαύτη σχηματοποιΐα καὶ προςποίητος, ἥ τε παράστασις τῶν θεραπαινίδων ἑκάτερθεν εἰς τὸ κατ' ἐξοχὴν φαίνεσθαι καλὴν οὐκ ἀνεπιτήδευτον δείκνυσι. Malignam Peripatetici mentem agnoscis, qui parum sincero iudicio illud *ἄντα παρειάων* interpretatus, quae pudoris Homerus castitatisque indicia enarrat, in contrarium vertit. Nova quidem et inaudita ea fuisse, facile tibi persuadeas. Itaque nullum tempus, nec deos nec homines intactos reliquit curiositas illa cum malignitate saepius quam cum benevolentia coniuncta, atque per cuiuscunque generis et argumenti scripta illius studii documenta invenias.

Maximo autem opere historia sub eo mutata est. Quod enim novum hoc tempore genus extitit vitarum scribendarum, id e curiositate illa non minus progenitum est, quam ex eo quod una cum amissa Graecorum libertate Philippus eiusque filius Alexander tales extiterunt viri, quales ut nemo ante omnium in se oculos converterunt, atque primi biographos nacti sunt. Nobis sufficit paucos ex historicorum numero eligere Timaeum, Theopompum, Phylarchum. Atque Timaeus quamquam ea vixit aetate qua Peripateticorum schola maxime floreret, raro tamen de moribus et animis retulit velut fr. 44 (Mueller I) de Cretensibus

paederastiae inventoribus, fr. 28 de Sardis parentes suos ad septuagesimum aetatis annum progressos sacrificantibus, fr. 18 de Etruscorum luxuria, fr. 60 de Sybaritarum intemperantia.

Neque apud Phylarchum multa eiusmodi inveniuntur exempla velut quae fr. 13 (Mueller I) de Iberum *μικρολογίᾳ*, fr. 10 de Byzantiorum *οἰνοφλυγίᾳ* tradidit desumpta ea ex Theopompo. Idem fr. 6 Demetrium Poliorcetem ad ridendum fuisse propensum et fr. 7 Antiochum regem vino deditum narrat. Multo latius hoc in Theopompi scriptis patebat cum in Hellenicis, tum in Philippicis. Ex illis servata sunt, quae de Lysandri industria tradiderat et temperantia fr. 21 (Muell. I), de Agesilai continentia fr. 23. In Philippicis quantopere in Philippi mores atque indolem describendos fuerit intentus, vel e Polybii opprobrio cognoscas, hoc ei obicientis, quod cum ingenti viri magnitudine ad opus suum excitatum se esse professus ille esset, post tamen convicia in illum congessisset *μετὰ ταῦτα παρὰ πόδας ἔν τε τῷ προοιμίῳ καὶ παρ᾽ ὅλην δὲ τὴν ἱστορίαν ἀκρατέστατον μὲν αὐτὸν ἀποδείκνυσι πρὸς γυναῖκας· ... ἀδικώτατον δὲ καὶ κακοπραγμονέστατον περὶ τὰς τῶν φίλων καὶ συμμάχων κατασκευάς .... ἐκπαθῆ δὲ γεγονότα καὶ πρὸς τὰς ἀκρατοποσίας.* Qualia revera de Philippo narrasse Theopompum declarant fr. 33 et 137. Praeter Philippum autem multorum tam populorum quam singulorum hominum mores adtigit velut fr. 54 quae de Thessalis narrat *ὅτι ζῶσιν οἱ μὲν σὺν ταῖς ὀρχηστρίσι καὶ ταῖς αὐλητρίσι διατρίβοντες, οἱ δ᾽ ἐν κύβοις καὶ πότοις καὶ ταῖς τοιαύταις ἀκολασίαις διημερεύοντες καὶ μᾶλλον σπουδάζουσιν ὅπως ὄψων παντοδαπῶν τὰς τραπέζας παραθήσονται πλήρεις* cet., vel similia de Byzantiis fr. 65. Porro fr. 95 Eubuli narravit *ἀσωτίαν*, fr. 96 Cleontis *θρασύτητα*, fr. 99 Demosthenis inconstantiam, fr. 117 Chabriae *ἀσέλγειαν*, fr. 133 Hegesilochi *οἰνοφλυγίαν* et *ἀσωτίαν*, fr. 135 Nicostrati *κολακείαν* et *ἀρέσκειαν*, fr.

136 Agathoclis, Philippi qui fuit servus, *κολακείαν, καὶ ὅτι ἐν τοῖς συμποσίοις αὐτῷ ὠρχεῖτο καὶ γέλωτα παρεσκεύαζεν*, fr. 118 de Iphicrate haec referente Nepote 'fuit autem animo magno et corpore, inperatoriaque forma, ut ipso adspectu cuivis iniceret admirationem sui, sed in labore remissus nimis parumque patiens.

Quibus iam aliquos e Peripateticorum numero adiungam, quorum notissima est *πολυιστορία* et *πολυγραφία*. Itaque permulti librorum supersunt indiees, qui moribus pernoscendis quam acriter illi viri studuerint, ostendunt; inter alios qui *βίοι* inscripti erant libri discernendi ei ab aliis, *περὶ βίων* qui nomen habuerunt. Utrique tamen huc faciunt, quod cum de illis, quibus clarorum virorum vitae resque gestae descriptae erant per se pateat, idem de his valere intelleges, modo Clearchi Solensis fragmenta *περὶ βίων* librorum inspexeris (cf. Koepke quid et qua ratione cet. p. 5 sqq.). Disseruit enim de moribus et praesertim de luxuria, tum populorum tum singulorum hominum antiquorum non minus quam posteriorum temporum. Simile ut nomen ita argumentum fuisse Dicaearchei operis *βίος Ἑλλάδος* inscripti, maius, quod superest, fragmentum arguit.

Videamus singula. Theophrastus in historicis hypomnematis Athen. IV, 173 E de Magnetum liberalitate tradidit, in libro *περὶ μέθης* Athen. X, 429 A Locrorum temperantiam postquam enarravit, conparat cum eis Massiliensium Milesiorumque mores. In libro *περὶ κωμῳδίας* Athen. V, 261 D Tirynthiorum ridendi amorem commemoravit, in eo quem *περὶ βασιλείας* sive ipse sive Sosibius conscripsit librum, Athen. IV, 144 E de *τρυφῇ* regum Persicorum agitur. In Erotico Athen. XIII, 609 E apud Elenses pulcritudinis certamen constitutum fuisse tradit, atque apud Tenedios, Lesbios, alios *σωφροσύνῃ* et *οἰκονομίᾳ* certasse feminas, alia denique similia non pauca.

Aristoxenum supra adtigimus. Hic pauca commemoro

velut quae de Mysonis misanthropia in *τοῖς σποράδην* fr. 89, vel de Alexandri regis suavi odore fr. 84 narraverat in historicis hypomnematis. Praeter ea in unum conspectum adponam, quae in vita Socratis de viro sapientissimo tradidisse dicitur inde a fr. 25 *Ἀριστόξενος δ' Ἀρχελάου πρῶτον αὐτὸν διακοῦσαι λέγει, γεγονέναι δ' αὐτοῦ καὶ παιδικά· σφοδρότερόν τε περὶ τὰ ἀφροδίσια ἀλλ' ἀδικήματος χωρίς ..... ἀπαίδευτον καὶ ἀμαθῆ καὶ ἀκόλαστον .... ἀκρόχολον καὶ εὐόργητον .... ὅτι οὐ πολλοῖς αὐτός γε* (Spinthari illius testis verba sunt) *πιθανώτερος ἐντετυχηκὼς εἴη, τοιαύτην εἶναι τήν τε φωνὴν καὶ τὸ στόμα, καὶ τὸ ἐπιφαινόμενον ἦθος, καὶ πρὸς πᾶσι δὲ τοῖς εἰρημένοις τὴν τοῦ εἴδους ἰδιότητα· γίνεσθαι δέ που τοῦτο ὅτι μὴ ὀργίζοιτο, ὅτι δὲ φλεχθείη ὑπὸ τοῦ πάθους τούτου δεινὴν εἶναι τὴν ἀσχημοσύνην· οὐδενὸς γὰρ οὔτε ὀνόματος ἀποσχέσθαι οὔτε πράγματος ..... ἐν δὲ τοῖς περὶ τὸν βίον (τὰ μὲν ἄλλα) εὔκολον καὶ μικρᾶς δεόμενον παρασκευῆς.* Quae simillima esse Theophrasteis descriptionibus negari nequit. Vera autem falsane retulerit Aristoxenus nihil hic refert.

Dicaearchum supra cognovimus callidum Homeri interpretem. Hic sufficiat memorasse quae fr. 17 de Agesilai morum simplicitate tradidit vel fr. 19 de Alexandri magni puerorum amore, quibus denique Pythagoram descripsit *τὴν γὰρ ἰδέαν εἶναι ἐλευθέριον καὶ μέγαν, χάριν τε πλείστην καὶ κόσμον ἐπί τε τῆς φωνῆς καὶ τοῦ ἤθους καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἔχειν.*

Clearchus, qui in libris *περὶ βίων* de luxuria potissimum egit velut Medorum fr. 5, Syrorum fr. 6, Colophonensium fr. 7, Scytharum fr. 8, de Tarentinorum cum superbia coniuncta luxuria fr. 9, de singulis quoque praeter luxuriam pauca alia narravit ut fr. 17 inmanem Phalaridis crudelitatem, quam ni fallor cum luxuria coniunctissimam esse intellexisset.

Finem faciam per Duridem Samium ipsius Theophrasti

discipulum ut rerum mirabilium narrandarum cupiditate et credulitate Clearcho et ceteris similis, ita morum quoque indagandorum et depingendorum studiosissimus. Ita in *Σαμίων ὥροις* fr. 47 (Muell. II) de Samiorum agit luxuria, in historiis fr. 30 de Atheniensium in Demetrium adulationibus, fr. 65 de Lysandri fastu ac superbia Graecorumque in eum adulatione, fr. 32 quam mero dediti fuerint reges antiquissimi probat Homero; fr. 7 Eumenis bonam praedicat indolem, amicitiae, quam illi fuerit cum Philippo, caussam; fr. 29 Polysperchontem, quamvis bonum inperatorem, vino madidum saltasse tradit; fr. 23 Alexandrum narrat *ὡς μέγας γενόμενος καὶ Δαρείου κρατήσας ἀφεῖλε τῶν ἐπιστολῶν τὸ χαίρειν, πλὴν ἐν ὅσαις ἔγραψε Φωκίωνι,* quibuscum conferas si lubet, quae in fine c. XXIV Theophrastus posuit; fr. 31 quibus modis alii aliis superbiam suam ostenderint Pausanias, Dionysius, Alexander et qui omnes superaverit Demetrius.

Longiorem Phocionis descriptionem Plutarchus servavit fr. 22 *Φωκίωνα γὰρ οὔτε γελάσαντά τις οὔτε κλαύσαντα ῥαδίως Ἀθηναίων εἶδεν, οὐδ' ἐν βαλανείῳ δημοσιεύοντι λουσάμενον οὐδ' ἔκτος ἔχοντα τὴν χεῖρα τῆς περιβολῆς ὅτε τύχοι περιβεβλημένος· ἐπεὶ κατά γε τὴν χώραν καὶ τὰς στρατείας ἀνυπόδητος ἀεὶ καὶ γύμνος ἐβάδιζεν, εἰ μὴ ψῦχος ὑπερβάλλον εἴη καὶ δυςκαρτέρητον.* Quae quidem talia sunt, qualia, cum parvo temporis spatio a Duridis aetate remotus esset Phocion nihil nisi studium arguunt colligendi atque enarrandi ea, quae externum virorum clarorum habitum et figuram spectarent, quaeque ipsi animi indoli moribusque congrua essent. Neque vero ea tantum Duris narravit, quae potuit saltem accepisse, sed ipsum nova finxisse fr. 14 demonstratur, quo qualem Arbaces Sardanapalum vidisset, descripsit *εἶδεν αὐτὸν ὁ Μῆδος ἐψιμυθιωμένον καὶ κεκοσμημένον γυναικιστὶ, καὶ μετὰ τῶν παλλακίδων ξαίνοντα πορφύραν, ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν καθήμενον γυναικείαν δὲ στολὴν ἔχοντα*

καὶ κατεξηρτημένον τὸν πώγωνα καὶ κατακεκισσηρισμένον· ἦν δὲ καὶ γάλακτος λευκότερος, καὶ ὑπεγέγραπτο τοὺς ὀφθαλμούς· ἐπεὶ δὲ καὶ προςεῖδε τὸν Ἀρβάκην, τὰ λευκὰ ἐπαναβαλὼν τοῖς ὀφθαλμοῖς. Quae cum a teste aliquo accepisse sive Duridem sive alium quemlibet vix tibi persuadeas, apertum est hanc descriptionem partim ad notam Sardanapali luxuriam, partim ad ipsum illud temporis momentum, Arbacis dico ingressum, conpositam esse et confictam. Cui si argutias et subtilitates addideris, quanta Duridis eiusque aequalium, tam ex habitu vultuque quam e dictis factisque animorum pernoscendorum et percensendorum sollertia fuerit, intellegas.

Vnam postremo loco eiusdem Duridis adpono descriptionem, quae utpote simillima Theophrasteis, unde exorsi sumus ad characteres Theophrasti apte nos reducat. Descripsit enim Duris in historiarum libro XVI fr. 27 Demetrium Phalereum ita *Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεύς .... χιλίων καὶ διακοσίων ταλάντων κατ' ἐνιαυτὸν κύριος γενόμενος καὶ ἀπὸ τούτων βραχέα δαπανῶν εἰς τοὺς στρατιώτας καὶ τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν, τὰ λοιπὰ πάντα διὰ τὴν ἔμφυτον ἀκρασίαν ἠφάνιζε, θοίνας τε καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαμπρὰς ἐπιτελῶν, καὶ πλῆθός τι συνδείπνων ἔχων· καὶ ταῖς μὲν δαπαναῖς ταῖς εἰς τὰ δεῖπνα τοὺς Μακεδόνας ὑπερέβαλε τῇ δὲ καθαριότητι Κυπρίους καὶ Φοίνικας· ῥάσματά τε μύρων ἔπιπτεν ἐπὶ τὴν γῆν ἀνθινά τε πολλὰ τῶν ἐδαφῶν ἐν τοῖς ἀνδρῶσι κατεσκευάζετο, διαπεποικιλμένα ὑπὸ δημιουργῶν. ἦσαν δὲ καὶ πρὸς γυναῖκας ὁμιλίαι σιωπώμεναι καὶ νεανίσκων ἔρωτες νυκτερινοί, καὶ ὁ τοῖς ἄλλοις τιθέμενος θεσμοὺς Δημήτριος, καὶ τοὺς βίους τάττων, ἀνομοθέτητον ἑαυτῷ τὸν βίον κατεσκεύαζεν. ἐπεμελεῖτο δὲ καὶ τῆς ὄψεως τήν τε τρίχα τὴν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ξανθιζόμενος, καὶ παιδέρωτι τὸ πρόσωπον ὑπαλειφόμενος καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλείμμασιν ἐγχρίων ἑαυτόν· ἠβούλετο γὰρ τὴν ὄψιν ἱλαρὸς καὶ τοῖς ἀπαντῶσιν ἡδὺς φαίνεσθαι.* Hae vero

Peripateticorum aliorumque illius temporis scriptorum descriptiones hominum quantum a priorum differant optime perspicies si cum eis Xenophonteas conparaveris Cyri (anab. I, 9) vel Clearchi, Proxeni, Menonis ib. 2, 6, vel Agesilai quam legis in libello cognomine. Xenophon in universum magis animi indolem atque naturam exponit variasque viris illis virtutes vindicat, fortitudinem, temperantiam, iustitiam, ut agnoscas Socraticum. Argumentis autem utitur singulis factis, quibus qualem quisque se gesserit demonstrat. Contra Peripatetici non tam singula facta quam universum hominum habitum cernunt, externam speciem qualesque vita quotidiana se gerant observant, atque quales ipsi vident tales aliis depingunt. Illi in graviora tantum intenti facta colligunt, hi minutiora quaerunt atque mores magis observant et imitantur, ut philosophi denique dicerent, illi idealiter magis et abstracte, hi concrete.

A scriptoribus ad poetas me confero novae, quae dicta est, comoediae, quae quantum faciat ad characteres Theophrasti recte aestimandos multi post Casaubonum pronunciarunt. Atque Burnei opinionem supra memoravi. Qui gravi errore inpeditus erat, ut quam similitudinem observaret, non alio modo explicatam haberet, quam ut alterum ex altero derivatum esse contenderet. Quamquam et omnis Peripateticorum de vitiis distribuendis doctrina et historicorum enarrationes, comoediae denique indoles ex universo omnia aetatis illius genio explicanda et deducenda esse videntur. Neque tamen, cum comicorum maxime poetarum esset proprium et ipsa quasi natura praescriptum mores hominum et animos observare, fuisse negaverim quae a comicis desumpta historici aliique scriptores suum in usum converterent, vel per comicorum exemplum excultum esse et auctum quod ab ipsa aetatis genio scriptoribus studium erat proprium. Atque nova quidem comoedia quamquam suppar erat aetate vel etiam inferior

Aristotele eisque, qui hunc proximi secuti sunt, Theophrasto, Aristoxeno, aliis, media tamen praecessit. Cui qui adnumerantur poetae medii inter antiquam comoediam et novam non tempore magis, quam poesis genere, ei quantam moribus depingendis operam dederint Meinekii verbis liceat demonstrare, quae sunt in hist. crit. com. p. 290 'praeterea in scenam prodire iusserunt agricolas stupidos, vetulas bibaces, tibicines ineptos, piscatores et coquos insipide gloriosos, aleatores, amatores fervidos, lenones periuros, servulos callidos, patruos obiurgantes, parasitos edaces, milites praeliatores, medicos aliosque id genus homines, quibus succedenti aetate quae tota fere in ἤθεσι describendis regnat ita proluserunt vix ut argumentum a novae comoediae poetis tractatum fuerit, cuius non prima stamina a mediae comoediae poetis ducta esse videantur.' Fuisse autem eleganti Theophrastum ingenio et festivo, observandi denique imitandique, quae principes comicae poesis virtutes sunt peritissimum, dictum est. Eandem cum comoedia adfinitatem quasi, quae cum Menandro ei erat amicitia, prodit, quem cum discipulum fuisse Theophrasti Pamphila tradat apud Diog. Laert. V, 36, adulescentem poetam ingenii cognatione allectum esse intellegas. E quo tamen Menandrum potius Theophrasti scripta quam Theophrastum vice versa Menandri comoedias imitatum esse, cave ne concludas. Pariter enim et Theophrasto Menandri et Menandro Theophrasti profuisse amicitiam et consuetudinem existimo, atque universe magis alterum ab altero excitatum esse et inpulsum, quam singula deprompsisse credo.

Atque hoc modo omnis fere characterum Theophrasteorum cum comoedia instituenda est conparatio, vel propterea, quod singulae singulorum comoediae quo tempore in scenam prolatae sint aut omnino in publicum prodierint nescimus, atque adeo ipsorum poetarum tempora parum plerumque cognita habemus. Nec profecto magni hoc pre-

tii est, unam alteramve notam utrum a comicis Theophrastus an ab hoc comicus aliquis deduxerit scire, dummodo studium illud vitae quotidianae morumque humanorum observandorum et exprimendorum utriusque commune fuisse teneamus. Cui animum intendisse comicos scientes ipsorum verba declarant, velut quae et Menandro Mein. 4, 111 et Philemoni 4, 91 tribuuntur

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται,

vel ea quibus Philemon tam hominum diversos ac multiplices esse mores quam similes inter se uniuscuiusque generis animalium exponit Mein. 4, 32

οὐκ ἔστ' ἀλώπηξ ἡ μὲν εἴρων τῇ φύσει
ἡ δ' αὐθέκαστος

in quibus meminisse iuvat *αὐθέκαστον* ab Aristotele medium inter *εἴρωνα* et *ἀλαζόνα* positum esse.

Convenit autem eo potissimum Theophrasto cum novae comoediae poetis, quod tales potissimum utrique homines describunt, qui uno adfectu uno vitio regantur, severiore autem lege adstrictus Theophrastus, quippe qui singulorum exempla daturus adcurata nihil potuerit admiscere, quae quamvis propinqua sint et in vita quotidiana saepissime cum eo vitio coniuncta, tollant tamen discrimina. Congessit igitur tales notas quales ex uno vitio originem ducerent, nec anxie in uno omnes homine num unquam conspicerentur curavit, quod Hottingeri causa moneo, qui quae in c. XVI reprehendit, pugnant certe contra eam quam ipse descriptionum legem statuit, probant autem nostram de Theophrasti consilio sententiam.

Contra comici imitatione ulterius progressi adque vivas imagines propius accedentes, quippe qui non doctrinam aliquam adumbrarent, non generales homines sive typos delinearunt, sed certos homines spectatorum oculis subposuerunt. Itaque quamquam unum vitium in eorum personis princeps quodammodo erat ac dominans poterat tamen hoc vel lenius esse vel fortius ac modo his modo

illis adfectibus admixtis temperari, ut, quod in vitio quotidiano quoque observaveris, multos idem poetae multos etiam diversi eidem vitio obnoxios depingerent, qui quamvis similes inter se essent, nec tamen non differrent. Ita Theophrasti ἀλαζών quamquam rebus gloriatur diversissimis potest tamen unus cogitari. Sunt enim omnes illae notae, quibus plures addi possint, propriae ἀλαζονείας. Eas omnes unus ille ἀλαζών conplectitur, cum comicorum ἀλαζόνες aut milites sint aut medici aut coqui ita ut aliis alios rebus gloriari necesse sit, cum ille sit ἀλαζών κατ' ἐξοχήν instar omnium singulorum.

Alterum quod cum comicis commune habet Theophrastus, ea non tam ex re consequitur similitudo, quam ex ingenio Theophrasti comicae poesi adfini. Quae tota constat ex ridiculo. Studuit hoc quale esset, Astius definire prol. p. 12 sqq. Neque tamen ipse quid diceret satis perspexisse videtur. Quid enim hoc est quod 'ridiculum tibi videtur propterea quod oppositionem quandam in eo cernis eius quod vere est et eius quod tibi videtur esse si universe et libera animi adfectione id spectas'? Simul igitur et verum et falsum videre nos Astius contendit. Pergit deinde 'res igitur lepide exhibenda haec erit, quae si universe liberaque animi contemplatione eam spectaveris inanis tibi esse videtur h. e. non talis qualis esse videtur, igitur sibimet ipsi contraria.' Quae si libera animi contemplatione specto inania mihi videntur. At omnino eo Astius deceptus est, quod, quam oppositionem sentiret, qualis esset non percepit. Minime enim 'τοῦ εἶναι et τοῦ δοκεῖν repugnantia', quod inane, quod ridiculum est efficitur, neque ea oppositione quae inter rem aliquam intercedit eiusque rei speciem. Qui quaeso ridiculum illud oculis percipiamus quippe qui, siquidem alia res est alia esse videtur, non qualis sit videamus sed qualis esse videatur, quod ab aequali suo Fichtio discere potuit Astius? Immo oppositio sive repugnantia in ipso homine sive in ipsa re

est. Itaque inania, ridicula sunt ea vel dicta vel facta, quae ipsa secum pugnant, et suapte natura sive insita oppositione intereunt, et is recte inanis dicitur vel ridendus, qui quae struit ipse delet. Nam qui eam repugnantiam qua sibimet ipsi contradicat, non videt, is sua culpa caecus esse videtur, meritoque deridetur. Quod quomodo adsecutus sit Theophrastus facile intellegas. Sunt autem multa ab eo descripta vitia, quae vix admittant ridiculum, alia tota fere sub risum cadunt velut *ἀναισθησία*. Stupidus enim ille quodcunque incipit ipse perdit. Idem de *περιεργίᾳ* dicendum, quod vel ex ultima eius nota cognoscas *καὶ ὀμνύναι μέλλων εἰπεῖν πρὸς τοὺς παρεστηκότας καὶ πρότερον πολλάκις ὀμώμοκα*, quibuscum Menandri quaedam verba male conparavit Casaubonus. Huc *μικροφιλοτιμία* referenda et *ὀψιμαθία*. Theophrastus autem quanta cum subtilitate ridiculi vim atque naturam perspexerit, quibusque modis illud efficiatur quam bene conpertum habeat, quantaque cum arte in singulas illud narrationes intulerit, in singulis exponat interpres necesse est. Optime autem ex ignavi hoc descriptione elucet. Ipsa enim ignavia cum minime risum moveat sed contemptum potius ita tamen miserum illum Theophrastus depinxit, ut apertissima in eo repugnantia fieret. Nec enim mortem solam ubivis imminentem pertimescit, sed hoc non minus fere metuit ne metum suum patefaciat. Hinc sedulitas illa et ante pugnam ut hostes utri sint adcurate dignoscant milites cohortantis et postea vulneratum amicum curantis.

Idem denique in ostentatore c. XXVII observari potest, qui ita gloriatur, ut ne possit quidem illa quis credere, nisi tam stolidus sit quam ille inpudens. Hanc ob rem postquam regis amicitia magnisque quas ex Asia adportaverit, divitiis gloriatus est, addidit Theophrastus *καὶ ταῦτα ψοφῆσαι οὐδαμοῦ ἐκ τῆς πόλεως ἀποδεδημηκώς*. Attamen hoc ipsum quo ridiculum illud ac lepidum, cui uni Theophrastum studuisse Astius adfirmat, idem Astius insul–

sum grammatici additamentum dicit. Sunt autem ita illa dicta tamquam unusquisque numquam peregrinatum illum esse cognitum habeat.

Longe lepidissimam eiusdem capitis narrationem nemo dum recte perspexit, quamquam viam monstraverat Casaubonus. Gloriatur ibi coram ignotis quibusdam ingentibus beneficiis, quae carae annonae tempore in cives inopes cumulaverit. *Καὶ ἀγνώτων δὲ παρακαθημένων κελεῦσαι θεῖναι τὰς ψήφους ἕνα αὐτῶν* (PV.) *καὶ ποσῶν καθ' ἑξακοσίους καὶ κατὰ μνᾶν* (codd. *μίαν*) *καὶ προςτιθεὶς πιθανῶς ἑκάστοις τούτων ὀνόματα ποιῆσαι καὶ δέκα τάλαντα.* Quae ita cum Casaubono explicarunt, ut sescentos ille enumeraret et in singulos singulas minas conputaret, et adeo summam faceret decem talentorum. Recte autem calculum instituisse quippe qui e sescentis minis decem faciat talenta omnes agnoscunt. Atque Casaubonus festivitatem laudat scriptoris, nec non similem conparat Pyrgopolinicis ostentationem pari confidentia caesorum a se hostium numerum conficientis. Ego vero, illa si Theophrastus scripsisset molestas potius ambages reprehenderem; neque *καί* post *ποιῆσαι* quid sibi velit intellego, cum idem fere valeat ac 'adeo.' Videamus Plautum. Militis cum parasito suo audimus colloquium v. 42 sqq.:

P. Ecquid meministi? A. Memini centum in Cilicia
et quinquaginta centum in Cryphiolatronia,
triginta Sardi, sexaginta Macedones
sunt homines quos tu occidisti [una] uno die.
P. Quanta istaec hominum summa est? A. Septem milia.
P. Tantum esse oportet; recte rationem tenes.

Iam quis non videt, sicut hoc loco miles inanes ostentationes esse ipse prodit, ita etiam Theophrastum eodem totam consilio instituisse narrationem atque scribendum esse *ποιῆσαι ἑκκαίδεκα τάλαντα.* Quo maior autem illius fiducia, qua ignotum numeros facere iubet, additque confiden-

ter nomina eorum quibus dederit, quamvis omnes neque propter ἑκάστοις nominasse opus est, eo magis ridiculum est, quod calculi vitio vanam ostentationem patefacit.

Quo exemplo sponte iam ad singula quae conparari possint Theophrastea cum comicis deducimur. Neque vero longus ero in nominibus colligendis coniecturisque proferendis, quibus nihil evinciatur. Multarum fabularum nomina tantum servata sunt, quae apte cum Theophrasteis conferas, ut tamen nihil inde eruas. Quare ad ea accedo quae paullo graviora esse videantur, deque eis quid sit iudicandum explanabo.

Superbiae (Th. αὐθαδείας XV ὑπερηφανίας XXIV) exempla philosophos potissimum induxisse videntur poetae, habitu vultuque severos ac rigidos, moribus lascivos. Quos Bato praesertim in Synexapatonte derisisse videtur cf. Mein. 4, 502 et 504. Gravitatem vultu simulabant, quamobrem οἱ τὰς ὀφρῦς ἐπηρκότες vel ἐπαίροντες saepissime audiunt, ut personam qualem induerint, facile conicias. Firmatur hoc Alciphrone qui in hisce totus fere pendet ex nova comoedia. Qui dixit III, 55 ὀλίγα ἢ οὐδὲν διαφέρουσι τῶν ἰδιωτῶν οἱ σεμνοὶ καὶ τὸ καλὸν καὶ τὴν ἀρετὴν ἐξυμνοῦντες, ubi σεμνότητα inter αὐθάδειαν et ἀρέσκειαν mediam poni a Theophrasto memineris. Tales et Academicos (cf. III, 14) fuisse et Stoicos, et Peripateticos et Epicureos et Pythagoricos, Cynicos denique, omnes alios alio modo dignitatem, gravitatem, severitatem adfectasse eadem Alciphro narrat epistula. Plerique difficiles, morosi, feroces, hominum congressus fugientes, quod in Andria Menander expressit M. 4, 82

εὑρετικὸν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν
οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες

atque apud Alciphronem haec Thais scribit Enthydemo I, 34 ἐξ οὗ φιλοσοφεῖν ἐπενόησας σεμνός τις ἐγένου καὶ τὰς ὀφρῦς ὑπὲρ τοὺς κροτάφους ἐπῆρας· εἶτα σχῆμα

ἔχων καὶ βιβλίδιον μετὰ χεῖρας εἰς τὴν Ἀκαδημείαν σοβεῖς, τὴν δὲ ἡμετέραν οἰκίαν ὡς οὐδὲ ἰδὼν πρότερον παρέρχῃ. Eosdem haud dubie Philemon castigavit Adelph. M. 4, 5

οὐκ ἂν λαλῇ τις μικρόν, ἐστὶ κόσμιος
οὐδ' ἂν πορεύηταί τις εἰς τὴν γῆν βλέπων.

Quibus simillimus est Theophrasteus non tam singulis rebus quam universo habitu, qui cum sibi uni placeat durus est in congressionibus et vitae quotidianae usu atque ut illi comicorum parcissimus est verborum ita ut ne salutatus quidem respondeat. Etiam ὑπερήφανος eis similis qui ἐν ταῖς ὁδοῖς πορευόμενος μὴ λαλεῖν τοῖς ἐντυγχάνουσι κατω κεκυφώς. Qualis denique αὐθάδης interrogantes male accipit hisce πράγματά μοι μὴ πάρεχε, talem in Pseudulo Plautino Ballio se gerit leno v. 244 sqq.

Saepe cum ostentatione coniunctam invenias superbiam, atque ut Alciphro philosophos, quorum superbiam supra cognovimus etiam ἀλαζόνας esse dicit, ita in militibus quorum propria est ἀλαζονεία superbiam quoque poetae deriserunt, similem ei quam in ὑπερηφάνῳ, c. XXIV Theophrastus notavit καὶ ἐπιστέλλων μὴ γράψαι ὅτι χαρίζοιο ἄν μοι cet. In Pseudulo enim Simmia de Polymachaeroplagidis consuetudine interrogatus v. 1002

'sed in epistula
nullam salutem mittere ascriptam solet?'

respondet 'Ita militaris disciplinast cet.' (quibuscum praeterea confer quae de Alexandro M. a Duride narrata supra citavi). Eandem in Pistoclero inpudentiam reprehendit Chrusalus, cuius epistulam recitanti Nicobulo haec ille infert Bacch. v. 1000

Non prius salutem scripsit? N. Nusquam sentio.
Ch. Inde a principio iam inpudens epistula est.

Quem superstitiosum c. XVI descripsit Theophrastus eum cognomine fabula Menander deridendum proposuit, quam in-

ter celeberrimas eius fuisse Alciphronis ep. II, 4, 6 probatur. Ita autem *δεισιδαίμων* a poeta descriptus est, ut quodcunque causa aperta eveniret omini tamen esse putaret. Atque poeta haud dubie ridiculum maxime adpetivit, quo differt ab eo Theophrastus, cui cum *ὑπερτιμῶν τοὺς θεούς* esset *δεισιδαίμων* talia quoque adferre licebat quae non prorsus inepta essent sed iustum tantum pietatis modum excederent, unde Orphicorum mentio, qua Hottingerus offendit, explicanda erit. Quod utriusque *δεισιδαίμων* lavationibus et lustrationibus expiat se, non magni illud momenti duxerim. Cum eis quae apud Theophrastum sunt *καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ* a Cobeto iam anonymi poetae versus conparati sunt Mein. 4, 612

ἂν μῦς διορύξῃ βωμὸν ὄντα πήλινον
κἂν μηδὲν ἄλλ' ἔχων διατράγῃ θύλακον cet.

quae cum Menandri consilio supra enarrato egregie conveniant nescio an ad illius comoediam atque ipsum quidem colloquium e quo fr. 4, 101 deductum est apte referatur.

Pergamus ad *ἄγροικον*. Quo sub indice Antiphanes, Augeas, Anaxilas comoedias scripsisse traduntur. Plures eiusmodi homines Anaxandrides induxisse videtur in *ἄγροικοι* fabula eosque similiter ac Theophrasteum, qui quidem *ζωρότερον* dicitur *πίνειν*, mero deditos fuisse ex hoc fr. Mein. 3, 162 conicias

μεγαλ' ἴσως ποτήρια
προπινόμενα καὶ μεστ' ἀκράτου κυμβία
ἐκάρωσεν ὑμᾶς B. ἀνακεχαίτικεν μὲν οὖν.

Nec non Menandri fabula extabat *Ὑποβολιμαῖος ἢ ἄγροικος* in qua qui primas partes agebat haud dubie is erat cuius hisce mentio fiebat M. 4, 215

γέρων ἀπεμέμυκτ' ἄθλιος λέμφος,

quae cum Ammonius ita explicaverit *λέμφοι παρὰ Ἀττικοῖς οἱ κορυζώδεις ἐλέγοντο καὶ μυξώδεις* similem eum esse vides Theophrasteo *οἷος .. τὸ μύρον φάσκειν οὐδὲν τοῦ θύμου ἥδιον ὄζειν.* Quam rusticitatem Theophrastus

dicit ἀμαθίαν ἀσχήμονα ea a Menandro hisce videtur notàri 4, 125

ὡς μηδὲν ἀποκρινουμένῳ δ' οὕτω λαλεῖν.

Qui ut ὀψιμαθής Theophrasti senes amare coeperint, non pauci apud comicos Latinos nunc invenias Antiphonem in Sticho Plautina v. 539 sq., in Bacch. v. 1161 Philoxenum alios. Quos Menander 4, 220 miserrimos dixit.

Μεμψίμοιρον conposuit Antidotus e quo quod nihil superest valde doleo. Similis argumenti fuisse conicio Menandri *Προεγκαλῶν*.

Inter celeberrimas Menandri personas apud Alciphronem Glycera etiam φιλάργυρον nominat, neque tamen quod de Cratete, Diexippo, Theogneto scimus, sub eo titulo fabulam edidisse accepimus. In fragmentis graecorum poetarum nihil fere invenitur, quod cum Theophrasteis conferatur. Apud Latinos non desunt. Ita Euclio in Aulularia Plautina filiae nuptias quam minimo sumptu facere cupit (II, v. 8) ut Theophrasti ἀνελεύθερος, et eiusdem μικρόλογος opsonatum exit in forum, sed cariora invenit, quam quae emat. Idem et Theophrasti ἀπίστῳ interdum similia agit non egrediens domo nisi antea circumspexerit omnia num salva sint ac tuta.

Κόλαξ et Menandri inscripta erat comoedia et Philemonis. Menandri propter ipsum adulatorem bene descriptum laudat Athen. VI p. 285 E. Neque valde dissimiles fuerunt innumeri apud omnes poetas parasiti, quamquam discrimen fuisse vel ex eo cognoscas quod alias parasitis alias adulatoribus personas fuisse testatur Pollux IV, 148. Parasitorum genus paullo inferius et ignobilius fuisse videtur apud graecos, nam quem Terentius in Eunucho suo parasitum induxit, eum e Menandri fabula sumpsit. Qui non tam ab aliis rideri se dicit v. 250 sed eis se adridere et eorum ingenia admirari simulque laudare quidquid dicant, quod nemo non facit adulator.

Inter gratissimas novae comoediae personas ἀλαζόνας

fuisse permultis exemplis probatur. Inter ipsos *ἀλαζόνας* autem celeberrimi erant milites, qui factis mirabilibus, tam hostium caesorum numero quam amatarum puellularum, (cf. Men. 4, 154) regum amicitia, ingentibus divitiis gloriabantur, quale lepidissimum nobis exemplum proposuit Plautus Pyrgopolinice suo, cuius nomen simillimum est Diphili *Αἱρησιτείχῃ*. Ipsam fabulam ex anonymi *ἀλαζών* quae inscripta erat, duxit Plautus. Diphilia *Εὔνουχος ἢ στρατιώτης* nomen habuit. Item in Menandri Colace talis erat miles, alius Thrasyleon in cognomine comoedia, Thrasonides in Misumeno Mein. 4, 168. Ediderunt praeterea Alexis, Xenarchus, Antiphanes mediae comoediae poetae, novae Philemon et Diphilus quae *στρατιώτης* inscriptae essent fabulas.

Iam singula videamus. Plauti miles aeque ut Theophrasteus opes suas praedicat v. 1064

Plus [pol] mi auri millest modium Philippi.

Maxime vero regum amicitia gloriabantur, unius praesertim Alexandri, quem potando superasse se contendit miles apud Menandrum M. 4, 152 (Plauti Mil. v. 777). Itaque Theophrasteus *ὡς μετ᾽ Ἀλεξάνδρου ἐστρατεύσατο, καὶ ὡς αὐτῷ εἶχε· καὶ ὅσα λιθοκόλλητα ποτήρια ἐκόμισεν*, quibus admodum similia sunt Thrasonidis Menandri 4, 168

ἐκ Κύπρου λαμπρῶς πάνυ
πράττων· ἐκεῖ γὰρ ὑπό τιν᾽ ἦν βασιλέων.

Cum rege nescio quo quam familiariter vixerit Terentii Thraso gloriatur Eun. 397 sqq. Etiam cum Antipatro consuetudinem Theophrasti *ἀλαζών* ait sibi esse, absque illo se esse invitatum. Ita Plautinus a 'Seleuco rege oratus maximo opere ut latrones ei cogeret.' Praeter milites medici praesertim et coqui inducebantur ostentatores haud raro. Itaque iam Aristoteles Nicom. IV, 13 medicorum ostentationem perstrinxit.

Postremo loco *ἀπονενοημένον* Theophrasti c. VI e comoediis inlustrare conabor. Multa eiusmodi apud comicos

exempla extare Casaubonus dixit, talesque omnes esse lenones. Quocum convenit quod Theophrasteus δεινός dicitur πορνοβοσκῆσαι. Atque quae in Ballionem opprobria ingerunt Caludorus et Pseudulus (Plaut. Pseud. v. 359 sqq.) si cum eis conparaveris, quibus ἀπονενοημένον Theophrastus descripsit, haud exiguam similitudinem deprehendes 'inpudice sceleste (μηδεμίαν αἰσχρὰν ἐργασίαν ἀποδοκιμάζειν) periure (ὀμόσαι ταχύ) fur (ἀπάγεσθαι κλοπῆς) verberavisti patrem atque matrem' (τὴν μητέρα μὴ τρέφειν). Similior etiam is fuisse videtur, qui in Philemonis et Apollodori Carystii ἐπιδικαζομένῳ primas egit. Ordiendum autem ab Apollodori, quam Phormione expressit Terentius. Atque ipse Phormio ut ἀπονενοημένος Theophrasti uterque sycophantarum Atheniensium imaginem referunt. Ipsum autem ἐπιδικαζόμενος nomen eorum meminisse iubet, quae Theophrastus de suo dicit ἱκανὸς δὲ καὶ δίκας τὰς μὲν φεύγειν τὰς δὲ διώκειν etc. Ita Phormio ille litis consilium dedit apud Terentium, nec primam hanc a se turbam inceptam profitetur v. 327. Praesertim secunda secundi actus scena ἀπονενοημένον agnoscas Phormionem, quem v. 374 simulata quidem ira nec tamen non vere Geta adpellat 'bonorum extortorem legum contortorem.' Atque hinc iam quod e Philemonis Epidicazomeno servatum est fr. 4, 9 quo de contumeliis ferendis agitur facile est ad explicandum.

Interea quidem Apollodori fragmenta, quae ad ἐπιδικαζόμενον certo testimonio referuntur, nihil, quod conparari queat, invenias. Quod autem incertum Geloine sit an Carystii superest Mein. 4, 454 id ex ipsa Carystii comoedia ductum esse adfirmarem, nisi alteram similis argumenti comoediam γραμματειδοποιόν idem Apollodorus scripsisset, de qua cf. Meineke hist. cr. p. 460 sq. Sed utut hoc sit, qui fragmento illo describitur et Theophrasti ἀπονενοημένῳ et Phormioni Apollodori simillimus est. Agitur autem de eo qui male iuventutem suam degerit

αὐτοῦ προδότης, κακός τε τῆς ὥρας φύλαξ
μάλισθ' ὁ τοιοῦτος ἀνατρέπει πᾶσαν πόλιν·

quae bene quadrant in turbulentum Theophrasti hominem; sed ipsa Theophrasti fere verba agnoscas in hisce quae sequuntur

ὅθεν ἐπιχειρεῖ παντ' ἀπηρυθριακότως,
ἕκαστος αὐτῶν, πρὸς δὲ παντ' ἐστὶν θρασύς
ψεύδετ', ἐπιορκεῖ, μαρτυρεῖ, δικορραφεῖ,
κλέπτει, τελωνεῖ, ῥαδιουργεῖ.

atque ipsi definitioni ἡ δὲ ἀπόνοιά ἐστιν ὑπομονὴ αἰσχρῶν ἔργων καὶ λόγων conveniunt priora

οὐδὲν γὰρ αἰσχρόν ἐστιν αὐτὸν ἀποτυχεῖν,
πράττουσι πάντα. τὴν γὰρ αἰσχύνην πάλαι
πᾶσαν ἀπολωλέκασι καθ' ἑτέρας θύρας.

Quod in initio huius quaestionis dixi id ad finem progressus repeto, satis me habuisse conparationem instituere, ut eadem hominum genera eodem modo a Theophrasto quo a comicis observata esse et imaginibus expressa adpareat. Item singula non ita magni momenti esse repeto.

Iam vero conplectar paucis quae vel exposuisse vel demonstrasse mihi videor. Scripsit igitur Theophrastus praeter alios ethici argumenti libros maius περὶ ἠθῶν opus, quo praeceptoris vestigia secutus, quae de vitiis ille ac virtutibus oppositis praecepisset adumbraret et adornaret, ita ut et virtutum vitiorumque numerum multiplicaret, et propter ea quae universe de moribus essent exponenda, aut omnium aut plurimorum vitiorum — num et virtutum dubium est — mimicas adiceret descriptiones et praeceptoris exemplo et proprio ingenio et aetatis denique qua vixit indoli ac studio obtemperans. Quae descriptiones cum rhetoribus ἠθοποιΐαν exercentibus non minus commodae essent quam Menandri aliorumve comoediae (cf. Jahn Ber. der Sächs. Ges. 1850 p. 110 sqq.)

secundo tertiove post Chr. saeculo a rhetore aliquo sive grammatico excerptae sunt descriptiones triginta nulloque ordine conglutinatae. Idem de suo addidit prooemium et aliquot capitum clausulas. In excerpendo autem neglegentior fuit et saepius quae omisisset postea in margine aut intra versus ascripsisse videtur. Quae tum fata libellus perpessus sit cum supra paucis conprehenderim, repetere nolo. Itaque finem facerem, nisi unum superesset, quo cum totius disputationis argumentum inlustretur optimeque probentur de philosophandi genere Theophrasti quae diximus cum seriis lepida miscentis, quae de ingenio comicis poetis cum observando tum imitando cognato, de scribendi denique genere monuimus, quale descriptionibus cum maxime idoneum esse contendebamus, aptum illud esse putavi quo disputationem concluderem.

Fragmentum dico libri quem de nuptiis Theophrastus conscripsit conversum de Graeco ab Hieronymo in libro I adversus Iovinianum (ed. Vallars. II p. 313 sqq.). Quaesivit ibi Hieronymo teste an viro sapienti uxor esset ducenda. Argumentum serium, philosopho aptum eius quidem aetatis; et tamen quae ex eo convertit Hieronymus omnes fere sunt descriptiones characteribus et re et scribendi genere fere pares.

Primum eius condicionem depinxit qui uxorem duxisset, satis lepide nec adeo paucis verbis. Exempli gratia haec transscripsi ‘multa esse, quae matronarum usibus necessaria sint, pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae, supellex varia, lectica et esseda decorata’. Deinde per noctes totas garrulae conquestiones ‘illa ornatior procedit in publicum: haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur.’

Cuiusmodi sunt plurima, quae omnia eandem vitae

quotidianae exprimendae indolem, eandem imitandi rationem, idem denique philosophandi genus non minus quam dicendi produnt. Superest ut cum comicis haec conferam, quibuscum longe maior horum est similitudo, quam in illis deprehendimus.

Etenim in Plauti Mil. v. 683 eandem fere quaestionem Periplecomenus senex tractat, quam isto libello Theophrastus atque cur uxorem nec voluerit ducere nec velit demonstrat. Incipit autem ab eo, quod etiam Theophrastum, priusquam ad malas feminas depingendas transiret, tractasse docet hisce Hieronymus 'et cum definiisset si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives .... sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit: haec autem in nuptiis raro universa concordant.' Eodem modo Periplecomenus

Nam bona uxor, si ea duci potis est unquam gentium
ubi eam possim invenire.

Hinc ad malam uterque transgreditur, atque quaerit Periplecomenus eam cur ducat, quae cum nihil omnino provideat marito postulet semper, et .... priusquam galli cantent quae me e somno suscitet dicat

'da mihi, vir, Kalendis meam qui matrem munerem
da qui faciam condimenta: da, quod dem quinquatribus
praecantatrici, coniectrici, ariolae atque aruspicae
tum piatricem clementer non potest quin numerem
tum obstetrix expostulavit mecum parum missum sibi
quid? nutrici non missuru 's quicquam quae vernas alit?'

Easdem Theophrastus conqueritur molestias 'celebrandus natalis eius .... honoranda nutrix eius et gerula, servus patrinus et alumnus.' Paullo post eos enumerat, quos cum quotidie uxoris scilicet iussu domum frequentent 'eodem periculo intromittas, quo prohibeas,' qui sunt 'anus, haruspices, harioli', alii. Quae praeterea ut ab aliis contra dicta memorat 'porro libero-

rum causa uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis praesidia et certis utamur haeredibus' eorum nihil non apud Plautum invenies. Occurrit enim Pleusicles defensor mulierum accusatori v. 703 sq.

At illa laus est magno in genere et in divitiis maxumis
liberos hominem educare generi monumentum et sibi.

Cui Periplecomenus respondet longe meliores, gratiores, diligentiores amicos esse quam cognatos, quos haeredes ipse designaverit. Quae cum Theophrasti argumentatione prorsus concinunt 'haeredes autem meliores et certiores amici sunt et propinqui, quos iudicio deligas, quam quos, velis nolis, habere cogare.'

Quae quidem ita conparata sunt ut non aut e poeta Graeco, quippe quem Plautus expresserit, Theophrastum hausisse, aut e Theophrasto poetam persuadere mihi nequeam. Modo Graecum illum novissimus. At licet ignotum sit Plautus e quo pendeat, Theophrastum Menandri exemplum secutum esse credo. Cuius in *Μισογύνῃ* primas egit is, 'quem uxore in matrimonium ducta mox adeo facti poenituit, ut quicquid ea ageret vehementissime eius animum irritaret.' Quod apud Meinekium 4, 164 sedecim versuum fragmentum legimus e colloquio petitum est osoris cum amico habito, qui quae virtutes essent feminarum exponebat illi, qui vitia tantum nosset. Concedit quidem ille

γυνὴ πολυτελής ἐστ' ὀχληρόν, οὐ δ' ἐᾷ
ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡς βούλεται.

Quod apud Hieronymum Theophrastus ut philosophus sic dicit 'primum enim inpediri studia philosophiae, nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire.' Quibus cum statim adnectat quae supra citavimus 'multa esse quae matronarum usibus necessaria sint' q. s., eadem uterque coniunxisse videtur. Indicatur enim illa *πολυτε-*

λείας mentione osorem Simylum, sive quod aliud eius nomen fuit, de sumptuosa mulieris vita questum esse quo commode duo Meinekius fragmenta retulit (Men. et Phil. p. 114) com. 4, 165. Atque quam hic inter alias molestias profert 'celebrandus natalis eius,' cum Menandri confer fr. 4, 165

ἐπιτρίβουσιν ἡμᾶς οἱ θεοί
μάλιστα τοὺς γήμαντας· ἀεὶ γάρ τινα
ἄγειν ἑορτήν ἐστ' ἀναγκή.

De superstitione mulierum quas et apud Plautum et apud Theophrastum querimonias audivimus, nec Menandrum omisisse haec docent 4, 166

ἐθύομεν δὲ πεντάκις τῆς ἡμέρας,
ἐκυμβάλιζον δ' ἑπτὰ θεράπαιναι κύκλῳ,
αἱ δ' ὠλάχυζον.

Pergit in longiore illo fragmento mulierum vindex virtutes praedicans ita

ἐλθόντ' ἐς νόσον
τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευσεν ἐπιμελῶς.

Cui qualia obiecerit Simylus e Theophrasto cognoscas, qui sic accusat 'adsidere autem aegrotanti magis possunt amici et vernulae beneficiis obligatae quam illa, quae nobis inputat lacrimas suas et haereditatis spe vendit illuviem et sollicitudinem iactans languentis animum desperatione conturbat.'

E quibus adparet ni fallor tantam fragmentorum esse similitudinem ut alterum ex altero, atque ut mihi quidem probabilius visum est e Menandro Theophrastum sumpsisse vix possit negari. A quo profectus qui etiam in descriptionibus quae libris περὶ ἠθῶν insertae erant, plura quam nunc nos perspicere possemus, duxisse Theophrastum contendat ei nec adsentio ego nec tamen quod contra dicam habeo nisi hoc unum inutilem esse coniecturam.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ

ΧΑΡΑΚΤΗΡΕΣ.

SIGLAE.

A et B codices Parisini antiquissimi quorum scripturas e P. Needhami et F. Duebneri editionibus enotavi.
R cod. Rhedigeranus.
S codices contaminati aut omnes aut maior eorum pars.
s codices contaminati nonnulli.
P cod. Palatinus Casauboni.

Ἤδη μὲν καὶ πρότερον πολλάκις ἐπιστήσας τὴν διάνοιαν ἐθαύμασα, ἴσως δὲ οὐδὲ παύσομαι θαυμάζων, τί γὰρ δήποτε, τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἀέρα κειμένης καὶ πάντων τῶν Ἑλλήνων ὁμοίως παιδευομένων, συμβέβηκεν ἡμῖν οὐ τὴν αὐτὴν τάξιν τῶν τρόπων ἔχειν. ἐγὼ γάρ, ὦ Πολύκλεις, συνθεωρήσας ἐκ πολλοῦ χρόνου τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν καὶ βεβιωκὼς ἔτη ἐνενήκοντα ἐννέα, ἔτι δὲ ὡμιληκὼς πολλαῖς τε καὶ παντοδαπαῖς φύσεσι καὶ παρατεθεαμένος ἐξ ἀκριβείας πολλῆς τούς τε ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τοὺς φαύλους ὑπέλαβον δεῖν συγγράψαι, ἃ ἑκάτεροι αὐτῶν ἐπιτηδεύουσιν ἐν τῷ βίῳ. ἐκθήσω δέ σοι κατὰ γένος, ὅσα τε τυγχάνει γένη τρόπων τούτοις προσκείμενα καὶ ὃν τρόπον τῇ οἰκονομίᾳ χρῶνται· ὑπολαμβάνω γάρ, ὦ Πολύκλεις, τοὺς υἱεῖς ἡμῶν βελτίους ἔσεσθαι, καταλειφθέντων αὐτοῖς ὑπομνημάτων τοιούτων, οἷς παραδείγμασι χρώμενοι αἱρήσονται τοῖς εὐσχημονεστάτοις συνεῖναί τε καὶ ὁμιλεῖν, ὅπως μὴ καταδεέστεροι ὦσιν αὐτῶν. τρέψομαι δὲ ἤδη ἐπὶ τὸν λόγον· σὸν δὲ παρακολουθῆσαί τε καὶ εἰδῆσαι, εἰ ὀρθῶς λέγω. πρῶτον μὲν οὖν ποιήσομαι [τὸν λόγον ἀπὸ] τῶν τὴν εἰρωνείαν ἐζηλωκότων, ἀφεὶς τὸ προοιμιάζεσθαι καὶ πολλὰ περὶ τοῦ πράγματος λέγειν· καὶ ἄρξομαι πρῶτον ἀπὸ τῆς εἰρωνείας καὶ ὁριοῦμαι αὐτήν· εἶθ' οὕτως τὸν εἴρωνα διέξειμι, ποῖός τίς ἐστι καὶ εἰς τίνα τρόπον κατενήνεκται· καὶ τὰ ἄλλα δὴ τῶν παθημάτων,

13 προκείμενα corr. H. Stephanus ‖ 19 παρακολουθῆσαι τε ὀρθῶς AB ‖ εἰδεῖν R ‖ 20 τὸν λόγον ἀπὸ add. RS ‖ 22 καί om. A.

ὥσπερ ὑπεθέμην, πειράσομαι κατὰ γένος φανερὰ καθιστάναι.

Εἰρωνείας α΄.

I *Ἡ μὲν οὖν εἰρωνεία δόξειεν ἂν εἶναι, ὡς τύπῳ λαβεῖν, προσποίησις ἐπὶ χεῖρον πράξεων καὶ λόγων, ὁ δὲ εἴρων τοιοῦτός τις, οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐθέλειν λαλεῖν, οὐ μισεῖν· καὶ ἐπαινεῖν παρόντας, οἷς ἐπέθετο λάθρα· καὶ τούτοις συλλυπεῖσθαι ἡττωμένοις καὶ συγγνώμην δὲ ἔχειν τοῖς αὐτὸν κακῶς λέγουσι καὶ ἐπὶ τοῖς καθ᾿ ἑαυτοῦ λεγομένοις· καὶ πρὸς τοὺς ἀδικουμένους καὶ ἀγανακτοῦντας πρᾴως διαλέγεσθαι· καὶ τοῖς ἐντυγχάνειν κατὰ σπουδὴν βουλομένοις προστάξαι ἐπανελθεῖν· καὶ προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι, καὶ ὀψὲ γενέσθαι αὐτὸν, καὶ μαλακισθῆναι· [καὶ μηδὲν, ὧν πράττει, ὁμολογῆσαι, ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι·] καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ ἐρανίζοντας ὡς οὐ πωλεῖ· καὶ μὴ πωλεῖν φήσει πωλῶν, καὶ ἀκούσας τι μὴ προσποιεῖσθαι, καὶ ἰδὼν φήσει μὴ ἑωρακέναι, καὶ ὁμολογήσας μὴ μεμνῆσθαι, καὶ τὰ μὲν σκέψεσθαι φάσκειν, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι, τὰ δὲ θαυμάζειν, τὰ δ᾿ ἤδη ποτὲ καὶ αὐτὸς οὕτω διαλογίσασθαι. καὶ τὸ ὅλον δεινὸς τῷ τοιούτῳ τρόπῳ τοῦ λόγου χρῆσθαι Οὐ πιστεύω· οὐχ ὑπολαμβάνω· ἐκπλήττομαι· καὶ Λέγει ἑαυτὸν ἕτερον γεγονέναι. Καὶ μὴν οὐ ταῦτα πρὸς ἐμὲ διεξῄει· παράδοξόν μοι τὸ πρᾶγμα· ἄλλῳ τινὶ λέγε, ὅπως δὲ σοὶ ἀπιστήσω ἢ ἐκείνου καταγνῶ ἀποροῦμαι [ἀλλ᾿ ὅρα, μὴ*

1 *ἐπεθέμην* R ‖ 2 *καθεστάναι* AB, *καταστῆσαι* RS.

I 3 tituli aut in catalogis illis ita scripti sunt, aut unicuique capiti praefixi ‖ 4 *ἐν τύπῳ* A ‖ *περιλαβεῖν εἶναι* s ‖ 5 *ἐπὶ τὸ χεῖρον* R ‖ 9 *καλῶς* R ‖ 14 verba *καὶ μηδὲν — βουλεύεσθαι* e loco suo post *ἐπανελθεῖν* huc transposuit Schneiderus ‖ 16 ante *ὡς οὐ πωλεῖ* multi lacunam statuerunt, ego conieci *ὡς αὐτῷ δεῖ* ‖ 17 *καὶ μὴ πωλεῖν φήσει πωλῶν* quae correxi p. — ‖ *δόξει μή* S ‖ 18 *φῆσαι* R ‖ 19 *σκέψασθαι* corr. Casaubonus ‖ 21 *οὕτως* R ‖ 23 fort. *ἑαυτὸν ἑτέρου ἀκηκοέναι* cf. adn.

σὺ θᾶττον πιστεύῃς τοιαύτας φωνὰς καὶ πλοκὰς καὶ παλιλλογίας εὑρεῖν ἔστιν οὐ χεῖρον ὄν· τὰ δὴ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ ἀλλ' ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ ἢ τοὺς ἔχεις.]

Κολακείας β'.

II *Τὴν δὲ κολακείαν ὑπολάβοι ἄν τις ὁμιλίαν αἰσχρὰν εἶναι, συμφέρουσαν δὲ τῷ κολακεύοντι, τὸν δὲ κόλακα τοιοῦτόν τινα, ὥστε πορευόμενον ἅμα εἰπεῖν Ἐνθυμῇ, ὡς ἀποβλέπουσι πρός σε οἱ ἄνθρωποι; τοῦτο οὐδενὶ τῶν ἐν τῇ πόλει γίνεται πλὴν σοί· ηὐδοκίμεις χθὲς ἐν τῇ στοᾷ· πλειόνων γὰρ ἢ τριάκοντα ἀνθρώπων καθημένων καὶ ἐμπεσόντος λόγου, τίς εἴη βέλτιστος, ἀπ' αὐτοῦ ἀρξαμένους πάντας ἐπὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατενεχθῆναι· καὶ ἄλλα τοιαῦτα λέγων ἀπὸ τοῦ ἱματίου ἀφελεῖν κροκύδα· καὶ ἐάν τι πρὸς τὸ τρίχωμα τῆς κεφαλῆς ὑπὸ πνεύματος προσενεχθῇ ἄχυρον, καρφολογῆσαι, καὶ ἐπιγελάσας δὲ εἰπεῖν Ὁρᾷς; ὅτι δυοῖν σοι ἡμερῶν οὐκ ἐντετύχηκα, πολιῶν ἔσχηκας τὸν πώγωνα μεστὸν, καίπερ, εἴ τις καὶ ἄλλος, ἔχεις πρὸς τὰ ἔτη μέλαιναν τὴν τρίχα· καὶ λέγοντος δὲ αὐτοῦ τι τοὺς ἄλλους σιωπᾷν κελεῦσαι, καὶ ἐπαινέσαι δὲ ἀκούοντος, καὶ ἐπισημήνασθαι δὲ, εἰ παύσεται, Ὀρθῶς· καὶ σκώψαντι ψυχρῶς ἐπιγελάσαι, τό τε ἱμάτιον ὦσαι εἰς τὸ στόμα, ὡς δὴ οὐ δυνάμενος κατασχεῖν τὸν γέλωτα· καὶ τοὺς ἀπαντῶντας ἐπιστῆναι κελεῦσαι, ἕως ἂν αὐτὸς παρέλθῃ·*

I 1 *πιστεύεις* AB, *πιστεύσῃς* R ‖ *πλοκὰς καὶ φωνάς* s ‖ 2 *παλλιλογίας* R ‖ *οὐ χεῖρόν ἐστιν εὑρεῖν οὐδέν* R ‖ *εὑρεῖν ἐστιν* S ‖ 3 *οὓς ἔχεις* AB.

II 6 *τὴν δή* R ‖ 8 *ἅμα πορευόμενον* RS ‖ 9 *εἰς σέ* RS *εἰς* huc a fine capitis inlatum est; deine om. *οἱ* R ‖ 10 *πλὴν ἢ σοί* A ‖ 13 post *πάντας* intercidisse videtur *πάλιν* ‖ 14 *λέγειν* ABS ‖ 15 *κροκίδα* RS ‖ 16 *προσενέχθῃ* s, *προσηνέχθῃ* ABRS ‖ 17 *δυεῖν* S ‖ 19 *εἴ τις ἄλλος ἔχει* R ‖ 21 *δὲ ἄκοντος* RS ‖ 22 *εἰ ἐπὰν παύσηται* Fossius ‖ *σκώψας τι* corr. in Cratandrea ‖ 23 *πικρῶς* R ‖ 24 *ὡς μὴ οὐ* A ‖ 25 *μικρὸν ἐπιστῆναι* R, *ἐπιστῆναι μικρόν* Casaubonus.

καὶ τοῖς παιδίοις μῆλα καὶ ἀπίους πριάμενος εἰσενέγκας δοῦναι ὁρῶντος αὐτοῦ, καὶ φιλήσας δὲ εἰπεῖν Χρηστοῦ πατρὸς νεόττια· καὶ συνωνούμενος κρηπῖδας τὸν πόδα φῆσαι εἶναι ἔτι εὐρυθμότερον τοῦ ὑποδήματος· καὶ πορευομένου πρός τινα τῶν φίλων προδραμὼν εἰπεῖν, ὅτι Πρός σε ἔρχεται, καὶ ἀναστρέψας, ὅτι Προσήγγελκα. ἀμέλει δὲ καὶ τὰ ἐκ γυναικείας ἀγορᾶς διακονῆσαι δυνατὸς ἀπνευστί· καὶ τῶν ἑστιωμένων πρῶτος ἐπαινέσαι τὸν οἶνον· καὶ παραμένων εἰπεῖν Ὡς μαλακῶς ἐσθίεις, καὶ ἄρας τι τῶν ἀπὸ τῆς τραπέζης φῆσαι Τουτὶ ἄρα ὡς χρηστόν ἐστι· καὶ ἐρωτῆσαι, μὴ ῥιγοῖ, καὶ εἰ ἐπιβάλλεσθαι βούλεται, καὶ εἴ τι περιστεῖλαι αὐτόν; καὶ μὴν ταῦτα λέγων πρὸς τὸ οὖς προσκύπτων διαψιθυρίζειν, καὶ εἰς ἐκεῖνον ἀποβλέπων τοῖς ἄλλοις λαλεῖν· καὶ τοῦ παιδὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ προσκεφάλαια αὐτὸς ὑποστρῶσαι· καὶ τὴν οἰκίαν φῆσαι εὖ ἠρχιτεκτονῆσθαι, καὶ τὸν ἀγρὸν εὖ πεφυτεῦσθαι, καὶ τὴν εἰκόνα ὁμοίαν εἶναι.

[καὶ τὸ κεφάλαιον τὸν κόλακα ἔστι θεάσασθαι πάντα καὶ λέγοντα καὶ πράττοντα, ᾧ χαριεῖσθαι ὑπολαμβάνει.]

Ἀδολεσχίας γ΄.

III Ἡ δὲ ἀδολεσχία ἐστὶ μὲν διήγησις λόγων μακρῶν καὶ ἀπροβουλεύτων· ὁ δὲ ἀδολέσχης τοιοῦτός ἐστιν, οἷος, ὃν μὴ γινώσκει, τούτῳ παρακαθεζόμενος πλησίον πρῶτον μὲν τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς εἰπεῖν ἐγκώμιον· εἶτα,

II 3 ἐπὶ κρηπῖδας codd. ego pro ἐπί scripsi ἔτι quod transposui ‖ 6 ἀναστρέψας εἰπεῖν R ‖ 7 τὰκ τῆς Meinekius Philol. XIV p. 204 ‖ 9 παραμένων corrupte ABS, παρακειμένων R, παρακείμενος s ‖ 12 καὶ ἔτι περιστείλῃ AB, καὶ ἔτι περιστεῖλαι RS, quae correxi ‖ 13 προσπίπτων (προς) corr. Valckenarius ad Eur. Phoen. schol. p. 715 διαπίπτων διαψιθυρίζειν A, προσπίπτων ψιθυρίζειν BRS ‖ 15 καὶ τοῦ δούλου R ‖ 17 ἄρχεσθαι τεκτονεῖσθαι R ‖ 20 ἅ R οἷς S.

III 22 ἐστὶ δέ R ‖ 24 παρακαθέζεσθαι R ‖ 25 αὐτοῦ R.

ὅ τῆς νυκτὸς εἶδεν ἐνύπνιον, τοῦτο διηγήσασθαι· εἶθ', ὧν εἶχεν ἐπὶ τῷ δείπνῳ, τὰ καθ' ἕκαστα διεξελθεῖν· εἶτα δὴ προχωροῦντος τοῦ πράγματος λέγειν, ὡς πολὺ πονηρότεροί εἰσιν οἱ νῦν ἄνθρωποι τῶν ἀρχαίων, καὶ ὡς ἄξιοι γεγόνασιν οἱ πυροὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, καὶ ὡς πολλοὶ ἐπιδημοῦσι ξένοι· καὶ τὴν θάλατταν ἐκ Διονυσίων πλόϊμον εἶναι, καὶ εἰ ποιήσειεν ὁ Ζεὺς ὕδωρ πλεῖον, τὰ ἐν τῇ γῇ βελτίω ἔσεσθαι· καὶ ὅτι ἀγρὸν εἰς νέωτα γεωργήσει, καὶ ὡς χαλεπόν ἐστι τὸ ζῆν, καὶ ὡς Δάμιππος μυστηρίοις μεγίστην δᾷδα ἔστησε· καὶ πόσοι εἰσὶ κίονες τοῦ Ὠιδείου, καὶ Χθὲς ἤμεσα, καὶ Τίς ἐστιν ἡμέρα σήμερον; καὶ ὡς Βοηδρομιῶνος μέν ἐστι τὰ μυστήρια, Πυανεψιῶνος δὲ Ἀπατούρια, Ποσειδεῶνος δὲ τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια· κἂν ὑπομένῃ τις αὐτόν, μὴ ἀφίστασθαι.

[παρασείσαντα δὴ δεῖ τοὺς τοιούτους τῶν ἀνθρώπων καὶ διαράμενον ἀπαλλάττεσθαι, ὅστις ἀπύρετος βούλεται εἶναι· ἔργον γὰρ συναρκεῖσθαι τοῖς μήτε σχολὴν μήτε σπουδὴν διαγινώσκουσιν.]

Ἀγροικίας δ'.

Ἡ δὲ ἀγροικία δόξειεν ἂν εἶναι ἀμαθία ἀσχήμων, IV ὁ δὲ ἄγροικος τοιοῦτός τις, οἷος κυκεῶνα πιὼν εἰς ἐκκλησίαν πορεύεσθαι· καὶ τὸ μύρον φάσκειν οὐδὲν τοῦ θύμου ἥδιον ὄζειν· καὶ μείζω τοῦ ποδὸς τὰ ὑποδήματα φορεῖν· καὶ μεγάλῃ τῇ φωνῇ λαλεῖν· καὶ τοῖς μὲν φίλοις καὶ οἰκείοις ἀπιστεῖν, πρὸς δὲ τοὺς αὐτοῦ οἰκέτας ἀνακοινοῦσθαι περὶ τῶν μεγίστων· καὶ τοῖς παρ' αὐτῷ

III 1 νύκτος om. R sed habet τῆς τούτῳ s ‖ 2 τὸ δεῖπνον A ‖ 7 πλεῖον om. BRS ‖ 13 καὶ ὁ ἀγρός RS ‖ 10 κιόνες εἰς τὸ ᾠδεῖον R ‖ 11 ἐχθές R ‖ 13 fort. τὰ Ἀπατούρια ‖ κατ' ἀγρούς sine τά Rs ‖ 14 Verba κἂν — ἀφίστασθαι quae in codd. sunt post σήμερον huc transponi voluerunt Schneiderus et Hottingerus ‖ 16 δεῖ δή RS ‖ 17 ἀπείραστος R, ἀπύρεκτος S ‖ 18 μήτε σπουδὴν μήτε σχολήν A ‖
IV 24 ὄζει R ‖ 27 παρ' αὐτῶν R.

ἐργαζομένοις μισθωτοῖς ἐν ἀγρῷ πάντα τὰ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας διηγεῖσθαι· καὶ ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθιζάνειν, ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι· καὶ ἐπ᾿ ἄλλῳ μὲν μηδενὶ [μήτε θαυμάζειν] μήτε ἐκπλήττεσθαι ἐν ταῖς ὁδοῖς, ὅταν δὲ ἴδῃ βοῦν ἢ ὄνον ἢ τράγον, ἑστηκὼς θεωρεῖν. καὶ προαιρῶν δέ τι ἐκ τοῦ ταμιείου δεινὸς φαγεῖν· καὶ ζωρότερον πιεῖν· καὶ τὴν σιτοποιὸν πειρῶν λαθεῖν, κᾆτ᾿ ἀλέσαι μετ᾿ αὐτῆς τοῖς ἔνδον πᾶσι καὶ αὑτῷ τὰ ἐπιτήδεια· καὶ ἀριστῶν δὲ ἅμα τοῖς ὑποζυγίοις ἐμβαλεῖν [τὴν θύραν· καὶ κόψαντος] τὴν θύραν ὑπακοῦσαι αὐτός, καὶ τὸν κύνα προσκαλεσάμενος καὶ ἐπιλαβόμενος τοῦ ῥύγχους εἰπεῖν Οὗτος φυλάττει τὸ χωρίον καὶ τὴν οἰκίαν· καὶ τὸ ἀργύριον δὲ παρά του λαβὼν ἀποδοκιμάζειν, λίαν μὲν λυπρὸν εἶναι, καὶ ἕτερον ἅμα ἀλλάττεσθαι· καὶ εἰ τὸ ἄροτρον ἔχρησεν ἢ κόφινον ἢ δρέπανον ἢ θύλακον, ταῦτα τῆς νυκτὸς κατὰ ἀγρυπνίαν ἀναμιμνησκόμενος· καὶ εἰς ἄστυ καταβαίνων ἐρωτῆσαι τὸν ἀπαντῶντα, πόσου ἦσαν αἱ διφθέραι καὶ τὸ τάριχος, καὶ εἰ σήμερον ὁ ἀγὼν νουμηνίαν ἄγει· καὶ εἰπεῖν εὐθὺς ὅτι βούλεται καταβὰς ἀποκείρασθαι καὶ τῆς αὐτῆς ὁδοῦ παριὼν κομίσασθαι παρ᾿ Ἀρχίου τοὺς ταρί-

IV 1 ἀπό om. R ‖ 3 ὑποφαίνεσθαι R ‖ τὰ κάτω γυμνά, Meinekius Philol. XIV p. 403 ‖ 4 μήτε θαυμάζειν om. ABR ‖ μήτε om. S ‖ μήτ᾿ ἐκπλήττεσθαι R ‖ 5 ἐν ταῖς ὁδοῖς om A ‖ 6 προαίρων codd. ‖ ἔτι ἐκ R ‖ ταμείου codd. Meinekius l. l. p. 407 corr. ‖ 7 δεινος (ὡς supra) AB ‖ 8 πυρῶν et καταλέσας R πειρῶν et κᾆτ᾿ ἀλέσας rell. corr. Casaubonus ‖ 9 τοῖς — αὑτῷ om. R ‖ ἅμα καί R ‖ 10 τὴν θύραν καὶ κόψαντος om. AB. pro τὴν θύραν priore Casaubonus ci. τὸν χόρτον ‖ 12 οὕτως R ‖ 13 λαμβάνων R ‖ 14 in A siglam non μέν significare Duebnerus adfirmat, quod quid possit esse non video. λίαν λέγων λυπρὸν εἶναι ci. Casaubonus. fortasse διὰ τὸ μὴ λαμπρὸν εἶναι ‖ 15 καὶ τὸ B, καὶ ὅ RS ‖ 17 deesse aliquid sententiae quivis videt velut ἀπαιτεῖν, nolui tamen supplere, quoniam excerptor omisisse videtur ‖ 20 ὑποκείρασθαι AB ‖ verba καὶ τῆς αὐτῆς — ταρίχους quae codices in fine collocant huc retulit Schneiderus.

χους· καὶ ἐν βαλανείῳ δὲ ᾇσαι καὶ εἰς τὰ ὑποδήματα δὲ ἥλους ἐγκροῦσαι.

Ἀρεσκείας ε΄.

XXVII Ἡ δὲ ὀψιμαθία φιλοπονία δόξειεν ἂν εἶναι ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν, ὁ δὲ ὀψιμαθὴς τοιοῦτός τις, οἷος ῥήσεις μανθάνειν ἑξηκονταέτης γεγονὼς καὶ ταῦτα λέγων παρὰ πότον ἐπιλανθάνεσθαι· καὶ παρὰ τοῦ υἱοῦ μανθάνειν ἐπὶ [τὸ] δόρυ καὶ ἐπὶ ἀσπίδα καὶ ἐπ᾽ οὐράν· καὶ εἰς ἡρῶα συμβάλλεσθαι τοῖς μειρακίοις λαμπάδα τρέχειν· ἀμέλει δέ, κἂν που κληθῇ εἰς Ἡρακλεῖον, ῥίψας τὸ ἱμάτιον τὸν βοῦν αἴρεσθαι, ἵνα τραχηλίσῃ· καὶ προσανατρίβεσθαι εἰσιὼν εἰς τὰς παλαίστρας· καὶ ἐν τοῖς θαύμασι τρία ἢ τέτταρα πληρώματα ὑπομένειν, τὰ ᾄσματα ἐκμανθάνων· καὶ τελούμενος τῷ Σαβαζίῳ σπεῦσαι, ὅπως καλλιστεύσῃ, παρὰ τῷ ἱερεῖ· καὶ ἐρῶν ἱερας καὶ κριοὺς προσβάλλων ταῖς θύ[ραις] πληγὰς εἰληφὼς ὑπ᾽ ἀντεραστοῦ δικάζεσθαι· καὶ εἰς ἀγρὸν ἐφ᾽ ἵππου ἀλλοτρίου κατοχούμενος ἅμα μελετᾶν ἱππάζεσθαι, καὶ πεσὼν τὴν κεφαλὴν κατεαγέναι· καὶ ἕνδεκα λιταῖς συνάγειν τοὺς μετ᾽ αὐτοῦ συναύξοντας· καὶ

XXVI PVat. 1 fort. *λυθείσης βασιλείας* sed et praeterea manca videntur esse.

XXVII PVat. 8 *οἷον* ‖ 11 *τό* transponendum ‖ 12 corrupta ut multa in hoc capite ‖ 16 *εἰπών*: *εἰσιών* Coraes ‖ 20 *ἱέρας* corrupte: *ἑταίρας* Schneiderus ‖ 21 *θυ* πληγάς* ‖ 24 *τῆς κεφαλῆς* Meinekius Philol. XIV p. 406 ‖ *ἕνδεκα λιταῖς* nescio quid esse possit.

Vulg. 9 *ἑξήκοντα ἔτη* ‖ *ταύτας λέγων* R *ταῦτα ἄγων* P ‖ *παρὰ πάτον* P ‖ 23 *ἀσπάζεσθαι* P ‖ 24 *κατεσχέναι* P.

μακρὸν ἀνδριάντα πέζειν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ ἀκόλουθον· καὶ διατοξεύεσθαι καὶ διακοντίζεσθαι τῷ τῶν παιδίων παιδαγωγῷ καὶ ἅμα μανθάνειν παρ' αὐτοῦ [κελεύειν], ὡς ἂν καὶ ἐκείνου μὴ ἐπισταμένου· καὶ παλαίων δ' ἐν τῷ βαλανείῳ πυκνὰ ἕδραν στρέφειν, ὅπως πεπαιδεῦσθαι δοκῇ· καὶ ὅταν ὦσι γυναῖκες, μελετᾷν ὀρχεῖσθαι, αὐτὸς αὑτῷ τερετίζων.

Κακολογίας κη'.

XXVIII Ἔστι δὲ ἡ κακολογία ἀγὼν τῆς ψυχῆς εἰς τὸ χεῖρον ἐν λόγοις, ὁ δὲ κακολόγος τοιόσδε τις, οἷος ἐρωτηθεὶς Ὁ δεῖνα τίς ἐστιν; εἰπεῖν καθάπερ οἱ γενεαλογοῦντες Πρῶτον ἀπὸ τοῦ γένους αὐτοῦ ἄρξομαι. τούτου ὁ μὲν πατὴρ ἐξ ἀρχῆς Σωσίας ἐκαλεῖτο, ἐγένετο δ' ἐν τοῖς στρατιώταις Σωσίστρατος, ἐπειδὴ δὲ εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφη, [Σωσίδημος]· ἡ μέντοι μήτηρ εὐγενὴς Θρᾷττά ἐστι· καλεῖται γοῦν ἡ ψυχὴ Κρινοκόρακα· τὰς δὲ τοιαύτας φασὶν ἐν τῇ πατρίδι εὐγενεῖς εἶναι· αὐτὸς δὲ οὗτος, ὡς ἐκ τοιούτων γεγονώς, κακὸς καὶ μαστιγίας. καὶ κακῶν δὲ πρός τινα εἰπεῖν Ἐγὼ δήπου τὰ τοιαῦτα οἶδα, ὑπὲρ ὧν σὺ πλανᾷ πρὸς ἐμέ· καὶ τούτοις διεξιὼν Αὗται αἱ γυναῖκες ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας συναρπάζουσι,

XXVII PVat. 1 *πέζειν*: plerique cum vulg. *παίζειν* scripserunt, quo vereor ne verum obscuretur ‖ 4 *κελεύειν* interposuit Fossius ‖ 6 *καὶ ὅταν ὦσι .... γυναῖκ ... μελετᾶν*.

XXVIII PVat. 11 *οὐκοῦν δέ: εἰπεῖν δή* Fossius ‖ 15 Sosidemi nomen supplendum esse vidit Meierus et post eum ego ‖ 19 *κακῶς* ‖ 21 *πλανᾷ* corr. Fossius ‖ *καὶ ἐπὶ τούτοις διεξιών φησιν* Casaubonus (Fossius *φῆσαι*), sed obscura manent, quare ego quin haec omnia ab epitomatore mutilata sint et obscurata non dubito.

Vulg. 1 *παίζειν* ‖ *καὶ πρὸς τόν* R ‖ 4 non hab. *κελεύειν* ‖ 5 om. *δ'* ‖ 9 *ἡ* om. P ‖ 10 add. *ἐστιν* post *τίς* ‖ 11 *τις ἐστί* R *τί ἐστι* P ‖ 12 *ἄρξασθαι* ‖ 13 *Σωσίας ἐξ ἀρχῆς* ‖ *δὲ ἐν* ‖ 22 *ἁρπάζουσι*.

καὶ οἰκία τις αὕτη τὰ σκέλη ἠρκυῖα· οὐ γὰρ οἷον λῆρός ἐστι τὸ λεγόμενον, ἀλλ' ὥσπερ [αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς ὁδοῖς] συνέχονται· καὶ τὸ ὅλον ἀνδρόλαλοί τινες, καὶ αὐταὶ τὴν θύραν τὴν αὔλειον ὑπακούουσι. ἀμέλει δὲ καὶ κακῶς λεγόντων ἑτέρων συνεπιλαμβάνεσθαι εἴπας Ἐγὼ δὲ τοῦτον τὸν ἄνθρωπον πλέον πάντων μεμίσηκα· καὶ γὰρ εἰδεχθής τις ἀπὸ τοῦ προσώπου ἐστίν, ἡ δὲ πονηρία οὐδενὶ ὁμοία· σημεῖον δέ· τῇ γὰρ αὐτοῦ γυναικὶ τάλαντα εἰσενεγκαμένῃ προῖκα ἐξ, ᾗ τε παιδίον αὐτῷ γεννᾷ, τρεῖς χαλκοῦς εἰς ὄψον δίδωσι καὶ τῷ ψυχρῷ λούεσθαι ἀναγκάζει τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἡμέρᾳ. καὶ συγκαθήμενος δεινὸς περὶ τοῦ ἀναστάντος εἰπεῖν καὶ ἀρχήν γε εἰληφότος μὴ ἀποσχέσθαι μηδὲ τοὺς οἰκείους αὐτοῦ λοιδορεῖσθαι· καὶ πλεῖστα περὶ τῶν φίλων καὶ οἰκείων κακὰ εἰπεῖν καὶ περὶ τῶν τετελευτηκότων κακῶς λέγειν, ἀποκαλῶν παρρησίαν καὶ δημοκρατίαν καὶ ἐλευθερίαν καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ ἥδιστα τοῦτο ποιεῖν.

οὕτως ὁ τῆς διδασκαλίας ἐρεθισμὸς μανικοὺς καὶ ἐξεστηκότας ἀνθρώπους τοῖς ἤθεσι ποιεῖ.

Φιλοπονηρίας κθ'.

XXIX Ἔστι δὲ ἡ φιλοπονηρία ἐπιθυμία κακίας· ὁ δὲ φιλοπόνηρός ἐστι τοιόσδε τις, οἷος ἐντυγχάνειν τοῖς ἡττη-

XXVIII PVat. 3 videntur haec verba repetita esse e prioribus ut XXII et cum Astio unum *κύνες* aut *αἱ κύνες* supplendum a quo librarii oculi aberrarint (cf. Meinekius Philol. XIV p. 406) ‖ 4 *ἀνδρολάβοι τινές* Fossius ‖ 5 *μέλει* ‖ 9 *οὐδέν* Fossius corr. et ego ‖ 10 *εἰσενέγκαμεν ἢ* et *ἐξ ἧς*, quae corr. p. 17 ‖ 12 Meinekius Philol. XIV p. 406 *λοῦσθαι* ‖ 14 *μὴ δέ*.

XXIX PVat. 23 et 24 *φιλοπονίας* et *φιλόπονος*.

Vulg. 6 *συνεπιλαμβάνεσθαι καὶ αὐτὸς λέγων* (*αὐτὸν λέγοντα* R) *καὶ* (om. R) *ἐγὼ τοῦτον* ‖ 9 *οὐδὲν ὅμοιον* ‖ *ἑαυτοῦ* ‖ 15 *καὶ ἄλλα πλεῖστα*.

μένοις καὶ δημοσίους ἀγῶνας ὠφληκόσι καὶ ὑπολαμβάνειν, ἐὰν τούτοις χρῆται, ἐμπειρότερος γενήσεσθαι καὶ φοβερώτερος· καὶ ἐπὶ τοῖς χρηστοῖς εἰπεῖν Ὡς γίνεται, καί φησιν, ὡς οὐδείς ἐστι χρηστὸς, καὶ ὁμοίους πάντας εἶναι· καὶ ἐπισκῆψαι δὲ Ὡς χρηστός ἐστι, καὶ τὸν πονηρὸν δὲ εἰπεῖν ἐλεύθερον, ἐὰν βούληταί τις εἰς π...... καὶ τὰ μὲν ἄλλα ὁμολογεῖν ἀληθῆ ὑπὲρ αὐτοῦ λέγεσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ἔνια δὲ ἀγνοεῖν· φῆσαι γὰρ αὐτὸν εὐφυῆ καὶ φιλέταιρον καὶ ἐπιδέξιον· καὶ διατείνεσθαι δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ, ὡς οὐκ ἐντετύχηκεν ἀνθρώπῳ ἱκανωτέρῳ· καὶ εὔνους δὲ εἶναι τῷ ἐν ἐκκλησίᾳ λέγοντι ἢ ἐπὶ δικαστηρίου κρινομένῳ· καὶ προσκαθήμενος δὲ εἰπεῖν δεινὸς, ὡς οὐ δεῖ τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα κρίνεσθαι· καὶ φῆσαι αὐτὸν κύνα εἶναι τοῦ δήμου, φυλάττειν γὰρ αὐτὸν τοὺς ἀδικοῦντας· καὶ εἰπεῖν, ὡς Οὐχ ἕξομεν τοὺς ὑπὲρ τῶν κοινῶν συναχθεσθησομένους, ἂν τοὺς τοιούτους προώμεθα. δεινὸς δὲ καὶ προστατῆσαι φαύλων καὶ συνεδρεῦσαι ἐν δικαστηρίοις ἐπὶ πονηροῖς πράγμασι, καὶ κρίσιν κρίνων ἐκδέχεσθαι τὰ ὑπὸ τῶν ἀντιδίκων λεγόμενα ἐπὶ τὸ χεῖρον.

[καὶ τὸ ὅλον ἡ φιλοπονηρία ἀδελφή ἐστι τῆς πονηρίας, καὶ ἀληθές ἐστι τὸ τῆς παροιμίας, τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον πορεύεσθαι.]

Αἰσχροκερδείας λ'.

XXX Ἡ δὲ αἰσχροκέρδειά ἐστι περιουσία κέρδους αἰσχροῦ· ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ αἰσχροκερδής, οἷος ἑστιῶν ἄρτους ἱκανοὺς μὴ παραθεῖναι· καὶ δανείσασθαι παρὰ ξένου παρ' αὐτῷ καταλύοντος· καὶ διανέμων μερίδας φῆσαι

XXIX PVat. 1 *ὠφεληκόσι* ‖ 8 fort. *φύσει* (an *φῦναι*) *γὰρ αὐτόν* ‖ 12 fort. *προσκαθημένοις* ‖ 16 *ἕξομ* corr. in *εν*.

XXX PVat. 27 *ἐσθίων*: *ἑστιῶν* Schneiderus.

δίκαιον εἶναι διμοιρίαν τῷ διανέμοντι δίδοσθαι καὶ εὐθὺς αὐτῷ νεῖμαι· καὶ οἰνοπωλῶν κεκραμένον τὸν οἶνον τῷ φίλῳ ἀποδόσθαι· καὶ ἐπὶ θέαν τηνικαῦτα πορεύεσθαι ἄγων τοὺς υἱεῖς, ἡνίκα προῖκα ἐφιᾶσιν ἐπιθεατρῶναι· καὶ ἀποδημῶν δημοσίᾳ τὸ μὲν ἐκ τῆς πόλεως ἐφόδιον οἴκοι καταλιπεῖν, παρὰ δὲ τῶν συμπρεσβευόντων δανείσασθαι· καὶ τῷ ἀκολούθῳ μεῖζον φορτίον ἐπιθεῖναι ἢ δύναται φέρειν, καὶ ἐλάχιστα ἐπιτήδεια [τῶν] ἄλλων παρέχειν· καὶ ξενίων δὲ μέρος τὸ αὑτοῦ ἀπαιτήσας ἀποδόσθαι· καὶ ἀλειφόμενος ἐν τῷ βαλανείῳ καὶ εἰπὼν Σαπρόν γε τὸ ἔλαιον, παιδάριον, τῷ ἀλλοτρίῳ ἀλείφεσθαι. καὶ τῶν εὑρισκομένων χαλκῶν ὑπὸ τῶν οἰκετῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς δεινὸς ἀπαιτῆσαι τὸ μέρος, κοινὸν εἶναι φήσας τὸν Ἑρμῆν· καὶ ἱμάτιον ἐκδοῦναι πλῦναι καὶ χρησάμενος παρὰ γνωρίμου ἐφελκύσαι πλείους ἡμέρας, ἕως ἂν ἀπαιτηθῇ· καὶ τὰ τοιαῦτα· φειδομένῳ μέτρῳ [τὸν] πίνδακα ἐγκεκρουμένῳ μετρεῖν αὐτὸς τοῖς ἔνδον σφόδρα δὲ ἀποψῶν, τὰ ἐπιτήδεια ὑποπρίασθαι φίλου δοκοῦντος πρὸς τρόπου πωλεῖσθαι· καὶ χρέη δὲ ἀποδιδοὺς τριάκοντα μνῶν ἔλαττον τέτταρσι δραχμαῖς ἀποδοῦναι· καὶ τῶν υἱῶν δὲ μὴ πορευομένων εἰς

XXX PVat. 1 *διμοίρῳ*: *διμοιρίαν* ego ‖ 4 *υἱούς* ‖ 5 *φασὶν ἐπὶ θεάτρων* unde duce vulgata *ἐπιθεατρῶναι*; potest etiam *οἱ ἐπὶ θεάτρων* esse ‖ 9 abest *τῶν* ‖ *ξένον* ‖ 11 *εἴπερ* ‖ 13 *οἰκείων* ‖ 17 *μέτρῳ π ... δακ .. κεκρου-μενῳ* ‖ quae secuntur corruptissima sunt et vix sananda ‖ 19 *ὑποσπῶν* ‖ 20 *πρὸς τρόπου* mutila sunt.

Vulg. (cap. XI) 3 *ἀποδιδόσθαι* A ‖ *ἐπὶ θέαν ἡνίκ' ἂν δέῃ πορεύεσθαι ἀπιὼν τοὺς υἱεῖς* ‖ 5 *ἀφιᾶσιν οἱ θεατρῶναι* ‖ 7 *συμπρεσβευτῶν* ABS *συμπρεσβέων* RBrb. ‖ *δανείζεσθαι* ‖ 8 *ἐπιθεῖναι μεῖζον φορτίον* ‖ 9 *ἐπιτήδεια τῶν ἱκανων*, quod nescio an ex *τηνικαῦτα* quod supra aberat ortum sit ‖ *καὶ ξενίων* AB *καὶ ἀπὸ τῶν ξενίων* RS ‖ 10 *τὸ μέρος τὸ αὑτοῦ* ABRS ‖ 11 *ἔλαιον ἐπρίω τῷ παιδαρίῳ* ‖ 13 *ἐν ταῖς ὁδοῖς* post *χαλκῶν* ‖ 17 *τὰ δὲ δὴ τοιαῦτα* sine *καί* dein *φειδωνίῳ* ‖ 19 *σφόδρα ἀποψῶν. ὑποπρίασθαι φίλου ἐπιλαβὼν ἀποδόσθαι* ABS *ὑποπιᾶσθαι* et *ἐπιβαλών* R ‖ 20 *ἀμέλει δὲ καὶ χρέος* ‖ 21 *τετράσι* et *ἀποδιδόναι*.

τὸ διδασκαλεῖον [τὸν μῆνα ὅλον] διὰ τὴν ἀρρωστίαν, ἀφαιρεῖν τοῦ μισθοῦ κατὰ λόγον καὶ τὸν Ἀνθεστηριῶνα μῆνα μὴ πέμπειν αὐτοὺς εἰς τὰ μαθήματα διὰ τὸ θέας εἶναι πολλάς, ἵνα μὴ τὸν μισθὸν ἐκτίνῃ. καὶ παρὰ παιδὸς κομιζόμενος ἀποφοράν, τοῦ χαλκοῦ τὴν ἐπικαταλλαγὴν προσαπαιτεῖν· καὶ λογισμὸν δὲ λαμβάνων παρὰ τοῦ χειρίζοντος [καὶ] φράτορας [ἑστιῶν αἰτεῖν] τοῖς ἑαυτοῦ παισὶν ἐκ τοῦ κοινοῦ ὄψον. τὰ δὲ καταλειπόμενα ἀπὸ τῆς τραπέζης ῥαφανίδων ἡμίσεα ἀπογράφεσθαι ἵνα οἱ διακονοῦντες παῖδες μὴ λάβωσι. Συναποδημῶν δὲ μετὰ γνωρίμων χρήσασθαι τοῖς ἐκείνων παισὶ τὸν δὲ ἑαυτοῦ ἔξω μισθῶσαι, καὶ μὴ ἀναφέρειν εἰς τὸ κοινὸν τὸν μισθόν. ἀμέλει δὲ καὶ συναγόντων παρ᾽ ἑαυτῷ ὑποθεῖναι τῶν παρ᾽ ἑαυτοῦ διδομένων ξύλων καὶ φακῶν καὶ ὄξους καὶ ἁλῶν καὶ ἐλαίου τοῦ εἰς τὸν λύχνον· καὶ γαμοῦντός τινος τῶν φίλων καὶ ἐκδιδομένου θυγατέρα, πρὸ χρόνου τινὸς ἀποδημῆσαι ἵνα [μὴ] προπέμψῃ προσφοράν· καὶ παρὰ τῶν γνωρίμων τοιαῦτα κιχρᾶσθαι, ἃ μήτ᾽ ἂν ἀπαιτήσαι μήτ᾽ ἂν ἀποδιδόντων ταχέως ἂν κομίσαιτο.

XXX PVat. 1 *τὸν μῆνα ὅλον* interpolata cf. adn. ‖ 8 Meinekius Philol. XIV p. 406 *τοὐγχειρίζοντος* ‖ *χειρίζοντος φράτορας* et om. *ἑστιῶν αἰτεῖν* omissa quaedam ‖ 20 *μή* ab Siebenkeesio additum.

Vulg. 10 *ἡμίση τῶν*: *ἡμίσεα* R ‖ 11 *ἵν᾽ οἱ* R ‖ *λάβωσιν* R *λάβοιεν* A.

Monacensis epitoma.

Praecedebant prooemium triginta capitum indices ordine solito, singula praeterea in margine adposita sunt unicuique capiti.

Πολλάκις ὦ Πολύκλειδες ἐπιστήσας τὴν διάνοιαν ἐθαύμασα τί δήποτε τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ τὸν αὐτὸν ἀέρα κειμένης, καὶ πάντων Ἑλλήνων ὁμοίως παιδευομένων συμβέβηκεν οὐ τὴν αὐτὴν ἔχειν τάξιν τῶν τρόπων. Ἤδη δὲ ἐννέα ἐπὶ τοῖς ἐνενήκοντα βιοὺς ἔτη, καὶ ποικίλοις τήν τε φύσιν καὶ γνώμην ἀνθρώποις ὡμιληκώς, δεῖν ᾠμην συγγραφῇ παραδοῦναι τῶν τ' ἀγαθῶν καὶ φαύλων τὰ ἤθη καὶ ὅσα ἐν τῷ βίῳ ἐπιτηδεύουσιν ἕκαστοι. Ἴσως ἔσονται βελτίους ἡμῶν οἱ παῖδες καταλειφθέντων αὐτοῖς ὑπομνημάτων, οἷς παραδείγμασι χρώμενοι αἱρήσονται συνεῖναι καὶ συνομιλεῖν τοῖς εὐσχημενοστέροις.

Περὶ εἰρωνείας $\overline{α}$

Ἡ μὲν οὖν εἰρωνεία, ὡς τύπῳ περιλαβεῖν προσποίησίς ἐστιν ἐπὶ τὸ χεῖρον λόγων τε καὶ πραξέων, ὁ δὲ εἴρων τοιοῦτός τις, οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐνδείκνυσθαι οὐ μισεῖν· καὶ ἐπαινεῖν ἀναφανδὸν, οἷς ἐπέθετο λάθρα· καὶ συνάχθεσθαι πάσχουσι κακῶς ἢ ἡττημένοις· καὶ συγγνώμης ἀξιοῦν τοὺς κακῶς αὐτὸν λέγοντας· καὶ πρᾴως διαλέγεσθαι ἀδικουμένος· καὶ τοὺς ἐντυχεῖν βεβουλημένους κατασπουδὴν προστάξαι ἐπανελθεῖν· μήδ' ὁμολογεῖν εἰ πράττει, ἀλλὰ λέγειν ἔτι βουλεύεσθαι· προσποιεῖσθαί τε ἄρτι ἢ ὀψὲ παραγενεσθαι· καὶ ἀκούοντα προσποιεῖσθαι μὴ ἀκούειν ἢ μὴ μεμνῆσθαι ἢ ἐπαγγέλεσθαι σκέψασθαι, ἢ ἀγνοεῖν, ἢ θαυμάζειν, ἢ μὴ ὁρᾶν ὑποκρίνεσθαι, καὶ ὅσα παρέπεται τῇ εἰρωνείᾳ λέγειν· οὐ πιστεύω· ἐξίσταμαι· οἱ τούτοις κα-

ταχρώμενοι τοῖς τρόποις ἀποτρόπαιοι ὑπὲρ τὰς ἔχεις, καὶ φευκτὰ τὰ τοιαῦτα ἤθη ὡς ἐπίβουλα.

Περὶ κολακείας β̄.

Ἡ δὲ κολακεία συμφέρει μὲν τῷ κόλακι, ἀλλ' ὅμως αἰσχρά ἐστιν ὁμιλία, ὁ δὲ κόλαξ τοιτοῦτός τις οἷος λέγειν· ὡς ἀστεῖος εἶ καὶ περίβλεπτος καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν ζηλωτοτατος (τοτα in ras.) καὶ ὅσα τοιαῦτα. ἔργα δὲ τὸ ἀφελεῖν ἀπὸ τοῦ ἱματίου κροκίδα καὶ οἷον καρφολογεῖν τὸ ἐκείνου τρίχωμα· ἔτι ὑπομειδιῶντα εἰπεῖν· ὡς ἔναγχος ὀφθείς μὲν ἀστεῖος νῦν δοκεῖς μοι πολιὸς τὴν τρίχα. καὶ σιωπᾶν ἐντέλλεσθαι τοὺς λοιποὺς, τοῦ κολακευομένου λέγοντος καὶ ἐπαινεῖν ἀκούοντα. καὶ τοὺς ἀπαντῶντας ἐπέχειν· καὶ τοῖς ἐκείνου παιδίοις τραγήματα προσφέρειν καὶ μακαρίζειν τὸν γεννήσαντα· καὶ προσδραμεῖν ἀγγέλοντα τὴν ἐκείνου παρουσίαν, καὶ αὖθις ἐπανακάπτειν καὶ ἐθέλειν ὑπουργεῖν ἐπέχοντα τοὺς ἐκείνου δούλους· καὶ ἁπλῶς τοσαῦτα καὶ λέγειν καὶ πράττειν δι' ὅσων νομίζει χαριεῖσθαι.

Περὶ ἀδολεσχίας γ̄

Ἡ δὲ ἀδολεσχία διήγησίς ἐστι λόγων οὐ καιρίων ἢ μακρῶν καὶ ἀπροβουλεύτων, καὶ ὁ ἀδολέσχης τοιοῦτός ἐστιν, οἷος λέγειν ὡς χαλεπὸν τὸ ζῆν· καὶ πόσοι εἰσὶ οἱ ὠδείου κιόνες· ὡς Βοηδρομιῶνος μέν ἐστι τὰ μυστήρια, Πυανεψιῶνος τὰ Ἀπατούρια, Ποσειδεῶνος δὲ κατ' ἀγροὺς τὰ Διονύσια. Διαράμενος ἀπαλλάττον τῶν τοιούτων· ὁ γὰρ χρόνος οὐδὲ τοῖς καιριωτάτοις ἐξαρκεῖ.

Περὶ ἀγροικίας δ̄.

Ἡ ἀγροικία ἀμαθία ἐστὶν, καὶ ὁ ἄγροικος τοιοῦτος, οἷος φάσκειν οὐδὲν ἥδιον θύμου τὸ μῦρον ὄζειν. καὶ οἰκεταις κοινοῦσθαι περὶ μεγίστων· καὶ μισθωτοῖς

ἐργαζομένοις τὰ ἐπ' ἐκκλησίας διηγεῖσθαι. καὶ ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθῆσθαι καὶ ἑστάναι δρῶντα ζῶα· καὶ ἀπαίδευτος ἐσθίειν καὶ ζωρότερον πίνειν· καὶ ἐσθίοντα ἐπιλαβέσθαι τοῦ ῥύγχους κυνὸς, λέγοντα οὗτος φύλαξ· καὶ ἀργύριον παρά του δεχόμενος ἀποδοκιμάζειν· καὶ εἴτι ἔχρησεν ζητεῖν παρὰ καιρόν· καὶ ὅλως τοιαῦτά τινα ἀπαίδευτα καὶ ἄκαιρα λέγειν ἀγροικίας ἐστίν.

Περὶ ἀρεσκείας ε̄

Ἡ δὲ ἀρέσκεια ἔντευξίς ἐστιν ἡδονῆς παρασκευαστικὴ, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ, οἷον εἴτις δυσὶν ἐναντίως ἔχουσι ἀρέσκειν ἐπιχειρῇ ἑκατέρῳ· καὶ τοὺς ξένους δικαιοτέρους ἀποδεικνύῃ τῶν πολιτῶν· καὶ ἐν συμποσίῳ προσαγόμενος τὰ τοῦ κεκληκότος παιδία φιλεῖν, συμπαίζειν λέγοντα· ἄσκος, πέλεκυς, τάδ' ἐπὶ γαστρὸς ἐᾷν καθεύδειν θλιβόμενον· ἀμπίσχεσθαι καινὰ, ἀρωματίζεσθαι· φοιτᾷν ἐν γυμνασίοις, προκαθῆσθαι· καὶ ἀγοράζειν μὲν αὐτὸν μηδὲν, ξένοις δὲ συνεργεῖν, λακωνικὰς κύνας πέμπειν εἰς Κύζικον, καὶ μέλι Ὑμήττιον εἰς Ῥόδον· καὶ πίθηκον θρέψαι καὶ τίτυρον[1]*) καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ θουριακὰς*[2]*) τῶν στρογγύλων ληκύθους καὶ βακτηρίας τῶν σκολιῶν ἐκ Λακεδαιμονίας καὶ αὐλαίαν ἔχουσαν Πέρσας ἐνυφασμένους· καὶ ὅσα δή τινα τοιαῦτα.*

Περὶ ἀπονοίας ς̄

Ἡ ἀπόνοια ὑπομονή ἐστιν ἔργων αἰσχρῶν, καὶ ὁ ἀπονενοημενος, οἷος καὶ νήφων ὀρχεῖσθαι τὸν κόρδακα[3]*),*

---

1) In marg. scholion *Τίτυρος Δωρικῶς ὁ σάτυρος ἢ ὁ μικρὰν ἔχων οὐραν πίθηκος.* 2) In marg. *Οἱ ταριοι ἔθνος ταραντινικὸν, ἐν ᾧ λήκυθοι εἰργάζοντο διαφεροῦσαι τῶν ἄλλων.* 3) In marg. *κόρδαξ εἶδος ὀρχήσεως αἰσχρᾶς καὶ ἀπρεποῦς.*

ἀνασεσυρμένος τε περιάγειν ἐν θεάτρῳ· κέραμον οἰκεῖν πλεῖον ἢ οἰκίαν· ἐν δικαστηρίῳ παρεῖναι ἔχοντα ἐχῖνον[1]) ἐν τῷ προκολπίῳ καὶ ὁρμαθοὺς γραμματιδίων ἐν ταῖς χερσίν.

Περὶ λαλιᾶς ζ̄

Ἡ λαλιά ἐστιν ἀκρασία λόγου, ὁ δὲ λάλος, οἷος ἐμποδὼν γινόμενος παντὶ τῷ ἐντυγχάνοντι· καὶ ἁπλῶς ἀκαίρων λόγων φορητός.

Περὶ λογοποιΐας η̄

Ἡ δὲ λογοποιΐα σύνθεσίς ἐστι ψευδῶν λόγων καὶ πράξεων ἀπό τινων ἀφορμὴν λαμβάνουσα καὶ συμπλάττουσα τέρατα οἷον Πολυσπέρχων νενίκηκε, Κάσανδρος ἐζώγρηται· καὶ προστίθησι εἴ τις ἐρωτώῃ· σὺ δὲ ταῦτα πιστεύεις; σημεῖον τὰ πρόσωπα πάντων μεταβαλόντα· καὶ ὡς ἠκηκόει τινὰ κρυπτόμενον ἐν οἰκίᾳ εἰδότα· καὶ πιθανῶς σχετλιάζων ἐπάγειν· δυστυχὴς Κάσανδρος, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Περὶ ἀναισχυντίας θ̄

Ἡ δὲ ἀναισχυντία καταφρόνησίς ἐστι δόξης αἰσχρᾶς (?) ἕνεκα κέρδους, οἷον εἴ τις που κεκλημένος ἄρας ἀπὸ τραπέζης δοῖναι τῷ ἑπομένῳ λέγων· εὐώχου Τίβιε·[2]) καὶ ὀψωνῶν ἑστὼς πρὸς τῷ σταθμῷ συλλαλεῖν φιλικῶς ἕως ἄρῃ τι πλέον ἢ καὶ ἁρπάσθαι γελῶν· καὶ δανειζόμενός τι πρὸς γειτόνων τοὺς χρῶντας ἀναγκάζειν κομίζειν καὶ ὅσα δῆτα ἔγνωκα αἰσχροκερδείας ἔργα.

Περὶ μικρολογίας ῑ

Ἡ μικρολογία ἔοικεν φειδωλία διαφόρου παρὰ καιρὸν οἷον διφᾷν τινα τὰ ἐν οἴκῳ μηδ' ἐᾷν διὰ τοῦ αὐτοῦ

1) In marg. ἐχῖνός ἐστι σκεῦος χαλκοῦν. 2) Τιβίου δουλικὸν ὄνομα ὡς καὶ δρόμων καὶ γέτης καὶ τὰ τοιαῦτα.

ἀγροῦ πορεύεσθαι ἐφ' ᾧ μὴ συκοτραγῆσαι τις· καὶ ἀπαγορεύειν τῇ γυναικὶ μὴ διδόναι ὅλας ἢ στέμμα, ἢ θυηλήματα.

Περὶ βδελυρίας ια

Ἡ βδελυρία παιδιά ἐστιν ἐπονείδιστος, οἷον τὸ ἐνώπιον γυναικῶν ἀνασυράμενος ὑποδεικνύναι τὰ αἰδοῖα· τὸ ἐν θεάτρῳ κροτεῖν τῶν ἄλλων πανόντων καὶ συρίττειν, καὶ ὅταν σιγήσῃ τὸ θέατρον ἀνακύψαντα ἐρυγεῖν· δεικνύναι τὰ ἐωνημένα· καὶ τὸ ἐπ' ἀγορᾶς τραγηματίζεσθαι· καὶ ἀποδημοῦντα δημοσίᾳ τὸ ἐκ τῆς πόλεως ἐφόδιον καταλιπεῖν οἴκοι, παρὰ δὲ τῶν συμβρεσβευτῶν δανείζεσθαι καὶ ὅσα παρόμοια.

Περὶ ἀκαιρίας ιβ

Ἡ ἀκαιρία ἔντευξίς ἐστι λυποῦσα τὸν ἐντυγχάνοντα, οἷον τὸ κωμάζειν ἐρωμένην πυρέττουσαν· καὶ ἀσχολουμένῳ κοινοῦσθαι· καὶ παρεῖναι μαρτυρήσοντα τῷ ἤδη κεκριμένῳ· ἐν γάμοις τε τῆς γυναικὸς μέρος κατηγορεῖν· καὶ μαστιγουμένου οἰκέτου διηγεῖσθαι αὐτὸν ὅπως ὁ ἐκεῖνος μαστιζόμενος τέθνηκεν οἰκέτης.

Περὶ περιεργίας ιγ.

Ἡ περιεργία προσποίησίς ἐστι λόγων καὶ πραξέων μετ' εὐνοίας· οἷον ἐπαγγέλλεσθαί τινα τὰ ὑπὲρ δύναμιν, ἢ ἀναγκάζειν τινὰ ἐν τοῖς ὑπὲρ δύναμιν· καὶ ἀτραποῦ ἡγεῖσθαι, τὴν ὁδὸν καταλιπόντα· εἶτα μὴ δύνασθαι εὑρεῖν οὗ πορεύηται· ἢ στρατηγὸν ἐρωτᾷν πότε παρατετάξεται; καὶ προσελθὼν τῷ πατρὶ εἰπεῖν· ἡ μήτηρ ἤδη καθεύδει ἐν τῷ δωματίῳ· καὶ ἀπαγορευόντος ἰατροῦ μὴ δοῦναι οἶνον τῷ μαλακιζομένῳ, ἐκεῖνον φάναι βούλεσθαι διάπειραν λαβεῖν.

Περὶ ἀναισθησίας ιδ

Ἡ ἀναισθησία βραδυτής ἐστι ψυχῆς ἐν λόγῳ καὶ πράξει, οἷον εἴ τις συμψηφισάμενος ἐρωτώῃ τὸν παρακαθήμενον ὅσον τὸ κεφάλαιον; καὶ εἰσιέναι μέλλων εἰς δίκην ἐκλαθόμενος εἰς ἀγρὸν πορεύοιτο· καὶ ἐν θεάτρῳ καταλειφθείη ὑπνωθείς· καὶ ἀποθείς τι οὐχ εὑρίσκειν· καὶ ἀκούων τελευτῆσαί τινας ἀγαθῇ φήσειε τύχῃ· καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Περὶ αὐθαδείας ιε

Ἡ αὐθάδεια ἀπήνειά ἐστιν ὁμιλίας ἐν λόγοις οἷον εἴ τις ἐρωτώμενος μηδὲ ἀποκρίνοιτο καὶ προσαγορευόμενος ἀντιπροσαγορεύσαι.

Περὶ δεισιδαιμονίας ις

Ἡ δεισιδαιμονία δειλία τίς ἐστιν πρὸς τὸ δαιμόνιον, ὥς τινες εἰ παραδραμούσης γαλῆς οὐ πορεύωνται ἕως διεξέλθῃ τὴν ὁδὸν ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαλάβῃ· ὁμοίως γλαῦκας δειδίττονται καὶ ἐπιβῆναι μνήματι ἢ νεκρῷ· καὶ τετράδας καὶ ἕξ ἡμέρας ἀσφαλίζονται· μαινόμενόν τε ἰδόντα φρίξαντα εἰς κόλπον πτύσαι· καὶ σκύλλῃ ἢ σκύλακι περικαθάρασθαι.

Περὶ μεμψιμοιρίας ιζ

Ἡ μεμψιμοιρία ἐπιτίμησίς τίς ἐστιν, οἷον εἴ τις φιλουμενος ὑπὸ τῆς ἑταίρας φήσειεν· θαυμάζω εἰ ἀπὸ ψυχῆς σου φιλεῖς με· καὶ ἀγανακτεῖν ὅτι οὐχ ὕει· καὶ εὑρών τι ἀσχάλλειν ὅτι μὴ ἀξιολογώτερον· καὶ ὅσα τοιαῦτα γογγυστικῆς γνώμης δείγματα.

Περὶ ἀπιστίας ιη

Ἡ ἀπιστία ἐστιν ὑπόληψις ἀδικίας κατὰ πάντων,

οἷον εἴ τινος ὠνησαμένου αὐτῷ τι ἕτερον ἐπιπέμψειεν ἀνιχνεύσαντα· καὶ φέρων αὐτός τι συνεχῶς ἀνιχνεύειν· καὶ νυκτὸς συγκαθεύδων τῇ γυναικὶ ἐρωτᾶν εἰ ὁ μοχλὸς ἐμβέβληται τῇ αὐλαίᾳ, κἀκείνης καταφασκούσης αὐτὸς ἀναστὰς ἐκ τῶν στρωμάτων γυμνὸς καὶ ἀνυπόδητος ἐπισκέψαιτο· καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Περὶ δυσχερείας ιθ

Ἡ δυσχέρεια ἀθεραπευσία ἐστὶ σώματος λύπης παρασκευαστική, οἷον εἴ τις λέπραν ἔχων καὶ ἄλφον ἐώῃ ἀθεράπευτα, συγγενῆ φάσκων ἔχειν, ὡς δὲ καὶ μασχάλας θηριώδεις δασείας καὶ ὀδόντας μέλανας· καὶ ἐσθίων ἀπομύττεσθαι· καὶ ἀρξάμενος λέγειν ἀποπτύειν καὶ πιὼν ἐρυγγάνειν, καὶ προσπτύειν ἔμπροσθέν τινος· καὶ χρῆσθαι χιτῶσι ῥυπαροῖς· καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Περὶ ἀηδίας κ

Ἡ ἀηδία ἔντευξίς ἐστι λύπης ποιητικὴ ἄνευ βλάβης, οἷον τὸ ἐγείρειν καθεύδοντα, ἵνα αὐτῷ συλλαλῇ· καὶ ἀνάγεσθαί τινα εἰ θέλοντα ἐπέχει ἵνα αὐτὸς βηματίσῃ καὶ σιτίζειν βρέφος ἀφελόμενος τῆς τίτθης· καὶ ἐσθίων ἐμετοὺς διηγεῖσθαι· καὶ ὅσα παρόμοια.

Περὶ μικροφιλοτιμίας κα

Ἡ μικροφιλοτιμία ὄρεξίς ἐστι τιμῆς ἀνελευθέρος, οἷον εἴ τις κεκλημένον ἐπισπευσεῖεν· καὶ ἀργύριον ἀποδιδοὺς ἀποδιδοίη καινόν· καὶ θριάμβους αὐλαίους ποιεῖν καὶ κυναρίου μελιταίου τελευτήσαντος μνῆμα ποιῆσαι, καὶ τοιαῦτα θέμενον διευθετεῖν.

Nolui ubi Wurmius lapsus esset adnotare, non magis quam ipsum epitomatorem corrigere. Vnum autem restat quibus in prolegomenis aptum non potui locum adsignare, de singulis huius epitomae scripturis quae dicenda sunt non multa.

Cum PVaticano eam epitomae esse cognationem dixi ut e codice nondum excerpto deducta sit, at in quo iam transposita fuerit cap. XXX pars, atque qui medius quodammodo fuerit inter plenam quam dixi recensionem et mediam, ut non mirum sit singula saepe cum vulgata ei commune esse velut c. XVI *παραδραμεῖν* verbum, cum in PVaticano scriptum sit *περιδραμεῖν*, neutrum rectum ib. *σκύλλῃ* pro *σκίλλῃ*. Nec non quae c. XVII *εἰ σὺ καὶ ἀπὸ ψυχῆς με φιλεῖς* vulgatae longe similiora sunt quam PVaticano, ut suspicere non omnia uno tempore omissa esse et decurtata. Contra quae sunt eodem cap. *καὶ εὑρὼν τι* quamquam simillima codicis Guelferbytani scripturae videtur, revera tamen ad PVaticanum propius accedit. Quod enim in illo est *εὑρών τι*, id ex *εὑρόντι* ortum esse certum est. Cap. XIX *συγγενῆ* et *ἀρξάμενος* cum vulgata habet, at *πιών* cum PVaticano, et cum eodem c. XXI addit *μελιταῖον* nomen post *κυνάριον*. Quibus iam nulla paratur difficultas.

In prioribus autem XV capitibus quaedam sunt, quae primo obtutu obstupefaciant te. Quod enim c. I *ἐπὶ τὸ χεῖρον* pro *ἐπὶ χεῖρον* scripto, c. II *κροκίδα* pro *κροκύδα*, c. V *ἀγοράζειν μὲν αὐτόν* pro *ἀγοράζειν αὐτὸν μέν*, ib. *πέμπειν* verbo addito cum Rhedigerano id est cum interpolatis codicibus concinit, eo omnia, quae de codicum familiis exposui, labefactari et erui posse videantur. At memor sis eorum quae de epitomatore p. 23 dixi, liberiorem eum fuisse etiam in singulis mutandis, suam quidem consuetudinem suumque linguae graecae usum secutum eum esse. Atque nullum illorum exemplum est quod non proprio Marte epitomator mutaverit. Contra quae cum Pa–

risinis ei communia sunt ea longe gravioris momenti sunt c. II *ἀκούοντα* cum in vulgata sit *ἄκοντος*, c. IV *εἴ τι ἔχρησεν* non *ὃ ἔχρησεν* et *προσαγόμενος* non *προσαγαγόμενος* c. V, *θουριακάς* non *θηριακάς* ib., c. VIII *ἐν οἰκίᾳ* non *ἐν τῇ οἰκίᾳ*, c. XI denique *συμπρεσβευτῶν* non *συμπρεσβέων*. Atque *συμπρεσβέων* illud ne unius Rhedigerani proprium esse putes, qualia quidem non pauca esse videntur, feliciter factum est quod idem etiam in Barberino codice extare antiquiore illo quam est Rhedigeranus, Amudutii testimonio scimus.

ADNOTATIO

C. I

ἐπανελθεῖν καὶ προσποιήσασθαι. Haec iungenda sunt cum interpositis illis quae transponenda esse Schneiderus vidit, non ironia evadat sed fastidium (*αὐθάδεια*).

καὶ λέγει ἑαυτὸν ἕτερον γεγονέναι. Quae qui cum Casaubono interpretantur in memoriam redigunt illum, qui ita interrogavit 'Sind Sie es oder sind Sie Ihr Herr Bruder?' Fossius qui velit intellegi quae coniecit hoc loco non magis percipio quam multis aliis. Ego aliam viam ingredior. Dissimulator nescientem se gerit maximeque stupentem. Qui cum pergat *οὐ ταῦτα πρὸς ἐμὲ διεξήει* et postea *ὅπως δὲ σοὶ ἀπιστήσω ἢ ἐκείνου καταγνῶ ἀποροῦμαι* confitetur ab alio antea se de eadem re aliud accepisse, neque iam scire se utri confidat. Quid igitur *ἕτερον γεγονέναι* aliud esse potest nisi *ἑτέρου ἀκηκοέναι*? Atque eodem modo pro *ἀκηκοέναι* scriptum *γεγονέναι* habes c. VIII in codice Vrbinate *οὔ φησιν γεγονέναι.*

C. II

ἀπ' αὐτοῦ ἀρξαμένους πάντας ἐπὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατενεχθῆναι. Ea nescio quomodo ita ab interpretibus explicari potuerint 'et orsos ab ipso et in eiusdem nomen simul omnes recidisse.' Sententia quidem recta est, nec potest alia hic locum habere. Sed *καταφέρεσθαι* non recidere esse sed incidere ipsius Theophrasti loco demonstratur c. VII, neque unquam ea revertendi notio *κατά*

praepositione effici potest. Vides autem quam facile vel ante vel post *πάντας* interciderit *πάλιν*.

καὶ παραμένων εἰπεῖν. Sic optimi codices. Rhedigeranus et alii *παρακειμένων εἰπεῖν*, quod qui corrigebat haud dubie a *πρῶτος* pendere genetivum voluit; male. Sed magis etiam perverse egerunt, qui *παρακείμενος* scripserunt paucos codices secuti, quorum nulla omnino fides est. Quis quaeso a *παρακείμενος* ad *παρακειμένων* et *παραμένων* progressam esse depravationem persuadebit sibi? *Παρακειμένων* autem non magis nos iuvat, quam quod melioribus codicibus traditum est. Itaque eos sequemur simul ab epitomatore obscurata haec esse statuentes. Quod enim olim conieci *ἐπαινέσαι τὸν οἶνον καὶ παραμένειν εἰπεῖν καὶ Ὡς μαλακῶς ἐσθίεις* ut laudaret vinum adulator beneque conservatum esse diceret (nam hoc est *παραμένει οἶνος*,) id nunc iam paullo minus mihi placet.

καὶ ἔτι περιστεῖλαι αὐτόν. Quae cum ita ferri non possent atque paullo post verba *ταῦτα λέγων* parum apte posita esse viderentur quibusdam, transpositis eisdem illa quoque emendari putarunt. Quoniam vero bene locum suum tenent illa *ταῦτα λέγειν* audacius etiam conamen est, neque quod eo efficitur laudari potest. Existit enim adulator male sedulus non regis voluntati obtemperans sed sibi ipsi. Inter ea quae codices dant *περιστείλῃ* (AB) et *περιστεῖλαι* (RS) medium esse videtur *περιστείλαι*, nec ab *ἔτι* valde remotum est *εἶτι*.

C. V

καθίστασθαι cum Fossio retinuerim. Nam perfacile illud in *καθίσαι* mutatum esse fingas ab eo, qui verba *καὶ ἐπὶ τῆς γαστρός* male huc referret.

Ἀσκός, πέλεκυς. His emendatione non opus est, quamvis de sententia vix certi quidquam statui potest.

Vereor autem ne exquisitiorem plerique eruere voluerint. Est homo, qui ultra modum favorem captat nimiumque insinuare se cupit. Nimium eo conspicitur quod aut aliis nimia sedulitate molestus fit, aut suam ipsius dignitatem amittit. Ita in virorum convivio non cum aequalibus colloquia habet, sed hospitis infantes accersit, eisque gratus vult haberi, tam sui oblitus ut et garriat cum eis ineptus inepta *ἀσκός, πέλεκυς*.

καὶ τὰ ἱμάτια δὲ χρηστὰ μεταβάλλεσθαι corrupta esse significavi, nam qui hoc inesse velit cum Casaubono: vestes quae usui adhuc esse possint mutare, is vereor ne Theophrasto inpertiat quae non debeat. Maxime enim contorta ea sunt, quantoque eis melius Monacensis epitomator *καὶ ἀμπίσχεσθαι καινά*, qui ni fallor ad iustam emendationem nos ducit *καὶ τὰ ἱμάτια δὲ χρηστὰ ἀναβάλλεσθαι*.

εἰς Βυζάντιον ἐπιστάλματα talia sunt qualia vix defensorem nanciscantur, praesertim cum nec altera ex parte sana sint, quibus iniuncta illa sunt. Deesse enim mittendi notionem omnes observarunt, atque supplevit eam Rhedigerani codicis librarius, quam epitomator Monacensis e codice suo sumere potuit. Ipsum autem verbum nec non nomen aliquod in unum *ἐπιστάλματα* male coaluisse suspicor, quae et *ἐπιστεῖλαι ἀγάλματα* esse possunt et *ἐπιστεῖλαι ἱμάτια* illis haec meliora ni fallor. (Meinekius, quod postea cognovi Philol. XIV p. 405 *ἀποστέλλειν ἀγάλματα* coniecit.)

C. VII

καὶ ὅταν γε τοὺς καθ' ἕνα ἀπογυμνώσῃ. Pro ultimo verbo quod in contaminatis codicibus (S) scriptum est *ἀποκναίσῃ* quamvis coniecturam esse perspicerem recte tamen coniectum olim existimabam; nunc vero nescio an defendi possit *ἀπογυμνώσῃ*. Est enim *ἀπογυμνοῦν* spoliare aliquem seu vestibus seu armis, atque qui armis spoliatus

est is victus est. Theophrastum autem metaphora uti voluisse atque garrulum suum tamquam bellatorem terribilem describere, eis quae sequntur patefit *ἐπὶ τοὺς ἀθρόους πορευθῆναι* quod est nostrum marschiren, et *φυγεῖν ποιῆσαι.* Quamobrem neque *ἀπογυμνώσῃ* 'illud ineptum esse puto. Ita enim garrulus quos adgreditur vincit ut prae multis, quae ipse profundat, nemo respondere possit (cf. illa *εἰπεῖν ... ὅτι οὐδὲν λέγει* et *μεταξὺ δὲ ἀποκριναμένῳ ἐπιβάλλειν* et *ὥστε μηδὲ ἀναπνεῦσαι τὸν ἐντυγχάνοντα*) utque arma illis eripere recte dicatur, quod nos dicimus 'todt schwatzen.'

C. VIII

καὶ ὡς ἐπιβαλών. Quod nihil est. Interrogavit homo, pergit deinde quasi ille responderit, quod quomodo fieret dicendum erat. Aut igitur *καὶ εὐθὺς ἐπιβαλών* scribendum, aut quod magis adridet quam propter sententiam tam quia *ὡς* illo ad genuinam scripturam deferimur *καὶ ὡς [ἀποκριναμένου] ἐπιβαλὼν ἐρωτᾶν* 'atque quasi iam responderit ille, pergit interrogans,' quibus eundem se gerit quem post *καὶ οὐκ ἐάσας ἀποκρίνασθαι.*

ὁρᾶν γὰρ αὐτὸν πάντων μεταβεβληκότα scripsi cum Parisino A cum relicui praebeant *αὐτῶν,* quo ad *πάντων* addito atque ante *πάντων* adeo collocato, ea evaderet sententia ut ad unum omnes se conspexisse adfirmaret. Contra *αὐτόν* anteposito augetur vis narrationis; cetera enim aliis debet testibus, haec ipsum se vidisse profitetur.

C. X

καὶ ὅσα μικροῦ τις πριάμενος λογίζεται πάντα φάσκων εἶναι. Mirum est quod *μικρολόγος*, qui alibi ne de suo quid perdat timet, atque *φειδωλὸς τοῦ διαφόρου ὑπὲρ τὸν καιρόν* dicitur, hoc loco aliorum res curat. Alia corruptelae indicia habes participium *φάσκων* et obscuram

locutionem πάντα εἶναι, ut optimo iure ab epitomatore haec mutilata esse et corrupta statuisse mihi videar. Olim autem eam fuisse sententiam conicio ut servum suum vel puerum reprehenderet parcus, quod nimio pretio emisset, quamquam servus ratione relata perparvi emisse se contenderet, quibus et λογίζεται aptissimum est.

καὶ τοὺς ὅρους δὲ ἐπισκοπεῖσθαι κτλ. plerique ex hoc capite in c. XVIII quo difffidens describitur transposuerunt. Cui quamvis melius inhaerere concedam, acerrimo tamen illo remedio opus esse nego. Diffidentia enim et parsimonia quam coniuncta sint vitia Plauti Euclio te doceat, nec non ipse Theophrastus cuius μικρολόγος neminem per agros suos permeare sinit, nullam aliam haud dubie ob causam nisi quod ne illi decerpant quid pertimescit.

χρωννύειν quid sit nescio. Commodandi notio, cui proximum illud esse videtur non apta est, nam qui commodat recipit. Immo donare sive amittere vetat uxorem.

καλύμματα. Hoc uno loco Hartungium perstringam qui solita facilitate nec non levitate ante hos duos annos cum aliis opusculis Graecis etiam Theophrasti hunc libellum edidit. Atque is bellum hoc loco crisis suae specimen dedit. Facilitatem ingenii ostentans haec dicit 'da nun der cod. Palat. Nevel. σκαλίσματα bietet und ein anderer θυψιλήματα, so war nicht unschwer zu errathen dass διὰ σκαλισμάτων für τὰ καλύμματα zu schreiben sei, zumal da sich σκ öfter als einmal mit κ und π u. s. w. (num cum omnibus litteris?) vertauscht findet.' Quod de θυψιλήματα tradidit ex eo primum non vides quid concludi vellet si verum esset, at falsum est, nam et in eodem Palatino Neveleti hoc extat θυψιλήματα et praeter eum in Rhedigerano pro θυηλήματα male exaratum non pro καλύμματα. Quam litterarum dixit confusionem eius exempla nonnulla adposuit; pergit enim 'K. 27 (16) πίνακα für στύρακα, und gleich daneben εἴσω für σπεῖσαι (ubi qui-

dem non video qua cum littera confusae sint σπ.), K. 30 (18) κοιλιούχιον für στολιούχιον, K. 31 περὶ τοῦτο für περιστῷόν τι.' Itaque firmat coniecturam novis suis coniecturis, quarum ut unam tolerabilem esse concedam relicuae ineptissimae sunt, maxime στολιούχιον illud ab ipso Hartungio formatum.

καὶ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας. Omnes quantum vidi editores meliorum codicum scripturam aspernati ἱπολυομένους scripserunt. At circa meridiem alii quoque praeter parcos nudis incedebant pedibus velut Phaedrus (Plat. Phaedr. 229 A) in tempore discalceatum se ire dicit; atque circa medium diem fuisse adparet e verbis τήνδε τὴν ὥραν τοῦ ἔτους τε καὶ τῆς ἡμέρας. Quare nescio an spretae illi scripturae subveniendum sit ac pro τὸ μέσον rescribendum sit τὸ μεῖον τῆς ἡμέρας.

C. XI

καὶ σπεύδοντας δέ που ὁρῶν. Post haec desunt quaedam in libris melioribus, non sufficiunt autem, quae suppeditant deteriores περιμεῖναι κελεῦσαι. Festinantes enim quidni advocet seriora qui agat?

C. XIV

καὶ ἐπὶ θᾶκον. Quibus in omnibus praeter A codicibus additur verbum ἀνιστάμενος, quod sententiam nihilo reddit saniorem. Neque enim qui nimia vesperi comedit, ἀναίσθητος iure audit, neque sub ea condicione qui in sellam se recipit, sed qui surrexit ut onere se sublevaret, atque iam sellam pro lecto habens, in ea obdormiscit cui rei ridiculi causa addita sunt a Theophrasto ὑπὸ κυνὸς τῆς τοῦ γείτονος δηχθῆναι. Fingas modo canem homine insolito loco stertiente excitatam esse. Est tamen altera via ut ille surgat noctu in sellam iturus, deinde propter mentis stuporem aberret a via inque vicini hortum irrum-

pat. Pro illa ratione stat quod ἐπὶ θάκον scriptum est, neque quod vicini cane mordetur repugnat. Propria enim vel noctu dominum agnoscit. Iam vero aut unum librarii incuria verbum omissum esse statui potest velut κοιμηθείς post ἐπὶ θάκον, quo recepto ἀνιστάμενος interpolatoris cuiusdam inventum haberemus, aut ab epitomatore plura omissa esse credendum totumque enunciatum tale fere olim fuisse τῆς νυκτὸς καὶ ἀνιστάμενος ἐπὶ θάκον κοιμηθῆναι καὶ ὑπὸ κυνὸς τῆς τοῦ γείτονος δηχθῆναι. Tum ἀνιστάμενος genuinum esset ante omissum deinde ascriptum unde factum esset ut postea in A omitteretur in relicuis non rectum suum locum obtineret. Atque haec quidem ratio magis mihi placet.

Ad καὶ λαβών quae manca esse quivis videt non τι potius quam ἀργύριον addiderim, ne nimis vulgare vitium sit, nam cui non accidit illud ut quam ipse deposuisset rem postea reperire non posset?

C. XV

Οὔτε τῷ [ἀπ]ώσαντι αὐτὸν ἀκουσίως [οὔτε τῷ ὤσαντι]. Quotquot coniecturae prolatae sunt, minus eae omnes placent quam cum Schneidero et Blochio pro dittographia habere verba uncis inclusa, atque primo loco retinenda esse. Sed statuendum est librarium ut peccatum non corrigeret sed obscuraret primo loco pro ὤσαντι scripsisse ἀπώσαντι.

C. XVI

Sub ἐπιχρωνῆν quid lateat difficile videtur ad divinandum, potest tamen circumscribi quodammodo et definiri sententia. Fossius olim ἐπεὶ ἐπὶ χοῶν ἦν nuper ἐπὶ χοῶν που [γενόμενος] coniecit. Illi quod melius visum mihi magis etiam altero displicet propter molestam participio–

rum coacervationem; sed hoc saltem non inepte ab eo excogitatum videatur negotii alicuius mentionem sub monstro illo latere, quo peracto lustret se homo nimium pius. Neque tamen propter totius enunciati formam verum esse credo. Tum haud dubie ἀπονίψασθαι τὰς χεῖρας scriptum esset, ut id quod summi esset momenti infinitivo proferretur. Contra si paullo adcuratius tantum lustrandi munus definiretur eo loco, omnia ad eum finem redirent, superstitiosus quomodo diem degere soleret quibusque ritibus perfunctus. Quae si recte sentio non videtur aptius esse aliud ac temporis conmemoratio et matutini quidem ἔτι πρῳ ἤδη in quibus ἔτι ἤδη coniunctis non magis puto offensurum te quam si esset ἔτι πρῳ ἦν — καὶ ἤδη. Ceterum quod propter perversam interpungendi quorundam rationem moneo coniungenda sunt περιρρανάμενος δάφνην εἰς τὸ στόμα λαβὼν laurum ore tenens sese lustrat, non totum diem laurum manducat; περιπατεῖν autem hic ut c. XIX init. dictum est.

ἀλλ' ἀποτροπεὶς ἐκλύσασθαι codicum scriptura est in eo loco, de quo nemo dum recte statuit. Scripserunt aut cum Casaubono ἐκδύσασθαι quasi in saccum homuncio irrepsisset; alii ἐκθύσασθαι, alii denique ἐκλύσασθαι servarunt. Sed neque tautologiam vitant, volunt enim idem esse ἀλλ' ἀποτραπεὶς et μὴ προσέχειν et velint necesse est, neque sanam eliciunt sententiam. Nam non recte exegetae responso opponere dicitur quoniam servat saccum religione postquam mentem exsolvit vel excusso sacco vel purificato, quem non dubium est, quin aut ipse sarturus sit aut sartori conmissurus. Quare ἀποτραπεὶς καῦσαι (EICKAYCAI) scripsi — passivi et activi infinitivos alias confusos observare licet velut eodem loco pro ἀπογράψαι in R scriptum ἀπογράψασθαι. Iam vero ἀποτραπεὶς non translato sed proprio sensu accipias ut sit averso ore accendit saccum. Averso autem ore talia perficere solitos esse Aeschyli loco probatur Choeph. 98

καθάρμαθ' ὥς τις ἐκπέμψας πάλιν
δικοῦσα τεῦχος ἀστρόφοισιν ὄμμασιν.

κἂν γλαῦκες βαδίζοντος αὐτοῦ κτλ. Manca aut prior est aut posterior pars enunciati; aut enim ante ταράττεται aut post verbum deest, cum illud tam bene de noctua quam de homine perterrito dici possit. Qui scriptus est pluralis γλαῦκες, hic non magis aptus quam esset aliis huius capitis locis velut κἂν παραδράμωσι γαλέαι vel κἂν ἴδῃ ὄφεις. Ceterum plerique ad noctuam verbum aliquod addiderunt sive παράπτῃ sive ἀνακράγωσι, sed tum nullius pretii additum esset βαδίζοντος αὐτοῦ. Neque quantum scio homine praetereunte canunt noctuae sed aut avolant aut remanent quietae, ad strepitum attentae. Iam βαδίζοντος αὐτοῦ ita tantum bene se habere videtur ut causa sit eius quod noctua faciat, atque hoc ipsum est ταράττηται modo ita cum Badhamo scribamus. Quo quidem nondum absoluta est emendatio, sed ante καὶ εἴπας verbum addendum quo hominis metus significetur cui optime convenit, quod in epitoma Monacensi adparuit δειδίττεται id quod facillime post ταράττηται omitti poterat.

Λιβανωτῶν πίνακα. Recte Fossius λιβανωτόν scripsit, sed non una accipio quod idem proposuit πόπανα sed leniore manu μίλακα restituo, quam plantam coronis aptissimam fuisse neque nullius honoris docent Eur. Bacch. 108. 703. Alciphr. fr. 6, 8 (Mein.) et cum myrtis coniunctam habes apud Platonem rep. II p. 379 B.

C. XIX

ἔχειν γὰρ αὐτόν. Id nisi geminarum scripturarum exemplum habes, ipsum αὐτόν longe melius placet quam vel αἰτοῦ vel αὐτά. Videtur enim aptum esse, ut qui vitia illa gentilicia esse demonstraturus sit, quibus se ipsum adfectum esse iamiam constet, denuo tamen sese nominet 'nam et ego et pater meus et avus.'

C. XXI

στεφανοῦντα ἀλείφειν. Quamquam illud τα ad *καὶ* perducere videatur, tutius tamen asyndeton statuere visum, quod et a sententia aptissimum est, nec dissimile illi quod est c. XVI *μυρσίνας, λιβανωτόν, μίλακα.*

C. XXII

ἐπιγράψας μὲν κτλ. Quid in definitione de *φιλοτιμίᾳ* praeceptum fuerit a Theophrasto adsequi non possumus, ipsum autem inliberalem qualem descripserit etiam nunc cognoscas. Ille igitur famam suam parum curat, dum sumptus fugiat, atque peragit quidem officia, quibus fungi debet, sed ita ut homine ingenuo non dignum est. Vicit choragus, nec non taeniam vovit, sed ligneam, attamen quam hoc sit inliberale quasi non sentiens nomen inscribit.

καὶ τὰ ὑποδήματα κτλ. In his quid sit *παλινπήξει κεκαττυμένα* non intellego nisi forte molestissime pro *παλίμπηγα* dictum esse contendas; sed quo deinde sensu *κέρατος οὐδὲν διαφέρειν* soleas suas dicat inliberalis, id minus etiam perspici potest. Neque illud nullius momenti est, quod *παλίμπηξις* verbum hoc uno loco extat. Primum igitur materiem memoratam fuisse credo e qua soleas ferat subpactas, et eam quidem materiem, quae nemo nisi inliberalis ferat, quod vide annon sit *καὶ τὰ ὑποδήματα παλίμπηγα ξύλῳ κεκαττυμένα φορεῖν*, sive ipso ligno eum incedere statuis, sive corticem ita dictum esse vis. Excusat autem inliberalitatem ille ita ut ligneas suas soleas non differre dicat a corneis, quod cum tales nunquam in usu fuisse videantur translate tantum ad firmitatem significandam dictum esse posset, inepte sane et quaesite. Quid igitur si pro *κέρατος* scribendum suadeo *δέρματος*?

C. XXIII

καὶ ποσῶν καϑ' ἑξακοσίους καὶ κατὰ μνᾶν ποιῆσαι ἑκκαίδεκα τάλαντα. Ita etiam nunc corrigenda mihi videntur. Verba *καὶ δέκα τάλαντα* quidem ita quis defendi posse putaverit, ut cum ante amplius quinque talenta dedisse narrasset, hic vero decem conputaret, eo mendacem se proderet. Verum enim vero recte instituto calculo ita ad decem talentorum summam pervenit, ut minorem ante propter modestiam potius indicasse videatur, quam maiorem postea propter ostentationem. Neque, ratio cum optime constet, quo iactatorem deprehendas habes, quod in relicuis bene Theophrastus instituit. Nam comiti suo certe haec non occinit in itinere.

C. XXIV

καὶ δεῖσϑαι πρὸς τὴν γῆν κτλ. Quae verba quomodo Fossius intellexerit cum proximis ea coniungens ipse viderit, ego non magis percipio quam quid sit *προσάγειν χιτώνισκον.*

C. XXVI

ἀμέλει δὲ δεινὸς κτλ. Locus difficilior. Sententia tamen universa clara est. Suadet homo, conveniant, consulant, iniuria adfectos se esse cet. Difficiliora fortasse propterea sunt quod haud scio an ut in aliis quibusdam locis ita hic quoque certas res spectaverit Theophrastus certosque homines. Paullo tamen sicut ego coniunxi illa et distinxi clariora sunt, modo hominem dominandi supra modum studiosum honores ambisse fingas tibi sed non successisse. Iam maxime iratus hanc ignominiam non ferendam esse ratus rempublicam atque cives eo ulcisci vult, quod suas ei deneget in posterum vires atque subtrahat. Quibus optime conveniunt quae post irato ore

profundit *θαυμάζω τῶν πρὸς τὰ κοινὰ προσιόντων τί βούλονται.*

καὶ ὡς ἀχάριστόν ἐστι κτλ. Quae cum Astius ita redintegrare sibi visus esset ut insereret *τὸ πλῆθος καὶ ἀεί,* Fossii adsensum tulit, vereor ne non recte; nam si ei semper adhaeret plebecula qui condonat, non ingrata est sed grata. Immo quos ingratos esse queritur erga eum sunt ingrati qui *νέμει καὶ δίδωσι,* quod cum *ἀχάριστον* vix esse queat, haud scio an *ἀχαριστία* scribendum sit 'Vndank ist des Gebers Lohn.'

C. XXVIII

ἀρχήν γε εἰληφότος qui mutarunt in *εἰληφώς* specie decepti sunt non minus quam qui *κακῶς λέγειν* cum *ἀποκαλῶν παρρησίαν* coniungi voluit. Vtrumque recta interpretatione evertitur. Aperte enim *δημοκρατίαν* et libertatem gloriatur eam, qua magistratus calumniari liceat; *κακῶς λέγειν* autem brevi post *κακὰ εἰπεῖν* spatio repetitum ita excusatur, ut augeatur hominis nequitia, qui ne mortuis quidem parcat.

C. XXIX

καὶ τὰ μὲν ἄλλα ὁμολογεῖν. Cuius hic partes defendat, hominem esse inprobum ex ipsius consequitur natura. Atque concedit ipse plura de amico suo recte iudicare homines, nonnulla vero nescire. Iam pro *φῆσαι* quid scribendum sit perspicies si hominum mores perspectos habeas. Solent enim siquidem non possunt bonos mores amicis suis vindicare, bonam tamen indolem bonamque naturam vindicare. Quam cum plerisque latere dicant ipsis vero notam esse contendant, facile evincunt. Itaque non dubito noster quin illo modo suum defendat; atque *φύσει* (*φῦναι*?) *εὐφυής* tam bene dicitur quam *εὐφυὴς τὴν φύσιν.*

C. XXX

τὸν μῆνα ὅλον. Cum paullo post per totum Anthesterionem mensem filios domi retinere dicatur ne frustra mercedem expendat, videntur pro singulis mensibus mercedem expendisse patres Attici, ut qui totum mensem afuissent iure suo nihil solverent. Attamen haec ipsa qui male accepisset inseruisse videtur illa, quae nos iam expungamus.

